



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

De Virtute In Genere. Ethica versatur circa Virtutem. Virtus est rectæ  
Rationis Amor unicus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)



D E  
**V I R T U T E**  
**I N G E N E R E**

*Ethica versatur circa Virtutem. Virtus est  
recta Rationis Amor unicus.*

C A P U T I.

S. I. Amor.

I **A**mor variè sumitur: & primò qui-  
dem sonat certum Affectum seu  
*passio-*

I *Amor varie sumitur.* J Quid sit amor dici non  
debet: res ea nobis per conscientiam & intimam ex-  
perientiam quamnotissima est: cum enim aliquando  
anemus ipsi, ignorare certe non possumus, quid sit  
amare. Et id generatim obtinet in iis omnibus, quæ  
ad cogitationes nostras, ad intellectum atque sensum,  
voluntatem item & animi affectus pertinent: hæc  
enim omnia nobis, ut dixi per conscientiam notissi-  
ma sunt, nec possunt unquam definitione aliquâ de-  
clarari: sæpe tamen ambiguitas quædam est in nomi-  
ne, quando in re summa claritas est, tum vero opus  
distinctione aliqua & discussione significationis ipsius  
nominis. Quod & hic usu venit, nam Amphibologia  
ista, quæ in nomine Amoris versatur, magnorum est  
in Ethica causa errorum: imprimis inde persuasum  
fuit populo (qui per Amorem non solet nisi certum  
aliquem affectum intelligere) totam naturam virtutis  
in tenero quodam atque suavi erga Deum & rationem  
affectu (quem devotionem passim vocant) consistere.  
Aliis persuasum fuit virtutem ad concupiscentiam  
aliquam spectare: & denique aliis alia visa sunt, ut  
patebit ex sequentibus in textu.



*passionem*, quæ mentem humanam demulcet & suaviter habet : Imo hæc *passio*, quæ passim *Amor* appellatur, est tota,<sup>2</sup> una & sola mentis humanæ, quatenus humana est, & cum corpore colligata, suavitas : Etiam si enim mens humana, quatenus mens est, capax sit sublimioris alicujus delectationis (quæ in mera suarum actionum, quod hæc cum suprema Regula consentiant, approbatione consistit) tamen, quatenus corpore juncta est, atque in illud agere, & vicissim ab eo accipere & quasi pati nata est, non aliam dulcedinem novit quam eam *passionem* : Adeo ut *Lætitia*, *Delicia*, *Jucunditas*, *Hilaritas*, *Gaudium*,

<sup>2</sup> *Una & sola.*] Hinc incedenter patet, quam sint illi miseri, qui aliis invidere, alios execrari, aut quoquo modo odisse assuescunt, eliminant, quod in vita jucundissimum est, amare : facillime autem possumus omnes, quique illi fuerint, amare, etiam si quorundam subinde vitia non approbemus. Prætexunt aliqui antipathias, id est differentias sive repugnantias naturales.

*Non amo te Volusi, nec possum dicere quare,  
Hoc tantum possum dicere, non amo te*

Sed certe hæc sunt intolerabilia, delicata & tantum phantastica, imaginativa quædam somnia : quæ vi Rationis bonæ & consuetudine contraria facile eliduntur : nec decet sapientem aliud magis, quam quod olim de se Aristoteles pronunciat, *φιλάνθρωπον*, id est, hominum amatorem esse, neminem averſari, omnes amplecti.



*dium, Jubilum, & si quæ similia, tantum diversa sint hujus Amoris nomina: 3 Tum verò, quod in Desiderio, in Spe, in Fiducia, cæterisque id genus, suave est & mentem bene afficit ac delinit, Amor est; quod autem in his molestum est & affligit, 2 ab Amore non est; ast ab alio aliquo affectu, b qui cum Amore simul in iis complicatur. Jam illa mentis separata & corpore se abstrahentis delectatio (quæ, ut diximus, consistit in nuda suarum actionum, eo quod hæc cum Divina Lege congruant ap-*

pro-

3 *Tum vero quod in desiderio, in spe, in fiducia.]*  
 Desiderium non est aliud, quam amor rei absentis: adeoque includit in se dulcedinem (amorem) & simul afflictionem seu acerbitatem aliquam (dolorem ex absentia rei amatae conceptum) spes non est aliud, quam amor erga bonum futurum, quo frustrari possumus: ideoque includit rursus in ea dulcedinem (id est amorem passionem) & acerbitatem (id est timorem ne frustremur illo bono) fiducia autem non est aliud, quam magna spes, seu magnus amor cum parvo timore. Quas quidem definitiones non afferimus, ut quid res ex sint indicemus (notissimæ sunt ipsa conscientia ut jam ante annotavimus) sed ut indicemus, cum bene nos partim & partim male afficiant (ut clarissime in nobis sentimus) juvare nos, quâ parte amorem, obesse vero atque affligere quâ parte alium aliquem affectum implicant.

a *Ut in desiderio tristitia, in spe timor.*

b *Scilicet à timore, & tristitia.*



probatione) <sup>4</sup> tam jejuna videtur plerisque, tam tenuis & diluta, ut eam vix aut ne vix quidem *Delectationis* nomine dignentur: Imo si spiritualis illa delectatio sterilis sit, & non procreet illam, quam pro-

<sup>4</sup> *Tam jejuna videtur plerisque, tam tenuis & diluta.*] Ex quo patet homines pleraque propter se ipsos facere, & vera humilitate destitui (hæc enim in sui ipsius incuriâ consistit, ut annotatum est in præfatione.) Imo patet illos omnia referre ad se quatenus homines sunt, seu cum corpore colligati: si enim se ipsos abstractos à corpore & humanâ conditione considerarent, satis magna videretur illis ea delectatio, quæ consistit in nuda suarum actionum approbatione, de quâ hic mentio; sed quærunt semper delectationem aliquam crassiorē, sensibilem & cum corporali motu conjunctam: qualis est amor passio, qui non habetur sine motu, concussioneque nostri corporis, præsertim cordis. Ex quo & hoc liquet eos sibi, quasi deditâ operâ, viam semper præcludere ad veram Humilitatem.

<sup>5</sup> *Et non procreet illam.*] Quando actionem aliquam nostram intus & in animo approbamus dictante nobis conscientiâ, illam cum rectâ ratione seu lege Dei convenire, consequi solet delectatio quædam seu amor passio inenarrabilis suavitatis, qua passione ita sæpe boni deliniuntur, ut calamitates illas vulgo vocatas, damna, infamiam, squalorem carceris, tormenta & mille mortes contemnant, imo ne sentire quidem videantur, sed aliquando approbatio illa animi isto corporali gaudio, quod totum in passione aliquâ consistit, destituitur: pendet enim illa passio à constitutione nostri corporis; ita ut subinde quidem causam habeat in mente, sed propter indispositionem non se-



procreare sæpe alioquin solet, corporalem ac sensibilem delectationem (Amorem passionem) conqueruntur se vitam agere in luctu & squallore, contabescere se, & etiamsi Deo ac Rationi obediant, omni tamen præmio & solatio destitutos esse.

2. Et ita quidem quid sit Amor *passio*, satis intelligitur. 6 Talis tamen Amor in definitione Virtutis non est accipiendus: Quamvis enim hic Amor Virtutem subinde comitetur. (Boni enim inenarrabilibus interdum delectationibus & animi deliciis affluentes sunt) Non est tamen ipsa Virtus, sed tantum præmium quoddam accidentale Virtutis: quod ut subinde Virtutem

sequatur illa in corpore ipso: & contra subinde nullam habet causam in mente, & sequitur tamen in corpore propter certam ipsius corporis dispositionem: ut gaudere nos aliquando sentimus, nulla ipsius gaudii subexistente causâ.

6 *Talis tamen amor in definitione virtutis non est accipiendus.*] Amor *passio* seu amor affectionis est extra genus moris, nec bonus est nec malus in illo genere, nec ad virtutem, nec ad vitium pertinet, sed est res indifferens hic seu ἀδιάφορος, sicut videre, audire & his similia, naturalia quidem sunt, non vero moralia: sensus enim nostri & passiones nostræ sunt ejusdem profus rationis, & tantum relatione aliquâ externâ (nam sensus nostros objectis adscribere solemus, non autem passiones) inter se differunt: ut latius patebit infra tract. 4. ubi ex professo agitur de passionibus.



tem consequitur, ita & subinde destituit. Alius igitur est Amor quidam, qui Virtutem constituit: 7 nempe firmum Propositum faciendi, quod Recta Ratio faciendum esse decreverit: Quia autem hic Amor operationem aliquam spectat, vocari potest *Amor effectiois*: sicut alius ille Amor, de quo paulo ante agebamus, vocari potest *Amor affectionis*. Et non tantum firmum Propositum faciendi, quod Ratio faciendum esse decernit, pertinet ad Amorem effectiois; 8 sed generatim omne fir-

mum

7 *Nempe firmum propositum.*] Tota definitio & natura virtutis hisce paucis vocibus perstringitur, virtus est propositum faciendi quod jubet ratio: hoc propositum, dulcedine, amore, passione junctum an destitutum sit, nihil refert ad naturam virtutis: optimus est, qui illud propositum habet, etiam cum omnibus illis blanditiis, in quibus amor passio consistit, orbatu est: orbari autem potest, ut paulo ante notabamus propter dispositionem corporis minus idoneam ad dulcedinem illam & suavitatem percipiendum, in qua amor Passio consistit: unde graviter decumbentes & moribundi, etiam cum viri optimi sunt, habentque in se firmissimum propositum obediendi Deo & veniendi ad eum, qui ipsos e vivis evocat. Saepe tamen carent blanditiis illis & suavitate animi, qua deliniri solebant, cum corpore valebant: quod equidem eorum probitati nihil officit.

8 *Sed generatim omne firmum propositum aliquid agendi.*] Videndum tamen est quem denominet: non enim quemvis amare dicimur circa quem firmo proposito



num Propositum aliquid agendi, illo nomine intelligendum est. Etiam firmum Propositum injurias tuas persequendi & ulciscendi, Amor est; Non quidem erga eum, quem ulcisci & punire constituisti, sed erga te ipsum, quem ultione illa pacare, placare, pascere & oblectare vis. Igitur Amor affectionis est quævis in humana mente suavitas; Amor autem effectiois est quodvis firmum propositum.

3. Est verò Amor affectionis frequentior,

B

tior,

posito versamur: igitur firmum propositum dicitur amor respectu finis-cui (de fine cujus & cui dicetur infra Tract. 3.) Itaque si quis habet firmum propositum occidendi inimicum, is eo proposito non inimicum, sed se ipsum (qui hic finis cui est) amare dicitur: ita etiam si quis habeat firmum propositum legem Dei rite exequendi, ut eo pacto consequatur æternam beatitudinem, illud quidem propositum (sicut alias semper) est amor, sed amor sui ipsius, cum ipse, qui hoc firmiter proponit, eo casu sit finis cui. Si quis habeat firmum propositum, legem Dei rite exequendi, seu faciendi quod ratio jubet, merè quia jubet ratio, ibi stando, & intentionem suam non ulterius extendendo: is amat Rationem & legem Dei, & pro modulo suo Deum ipsum; non quod Deus, lex ejus aut ratio ibi sint Finis-cui, proprie loquendo (nihil enim illi seritur aut metitur cum nos bene agimus, nihil discedit, cum male) sed sunt finis cui obedientiæ, quod hic satis est ut amari dicantur, cum nullus alius ordinatus amor in ea cadere possit; quæ latius patebunt infra Tract. 3.



tior, & apud populum magis famose nomine *Amoris* intelligitur; sed Amor affectionis magis propriè magisque naturaliter nomine *Amoris* significatur. Imo videtur Amor affectionis isto nomine *Amoris* non alia de causa venire, quam quod Amor affectionis sæpe pariat Amorem affectionis: Alioqui non magnopere amari nos intelligimus ab eo, quem scimus bene quidem erga nos affici; 1º sed affectum

suum

9 *Magis proprie.*] Sicut pharmacum & homo sanus dicuntur: homo quidem proprie sanus dicitur, Pharmacum vero improprie & per analogiam quoddam sanum dicitur, eo nempe quod sit causa sanitatis: in etiam & passio quædam (nempe suavis illa, tenera & dulcis) & simul propositum firmum aliquid exequendi amor vocatur; propositum quidem proprie, Passio vero per similem metonymiam, eo quod sæpe sit causa amoris proprie dicti, qui in proposito consummatur: solent enim homines eos, quos passionatè se amore Affectionis diligere inceperant, post modum sæpe amare amore affectionis, iisque studere & gratificari: sic amor affectionis generat sæpe amorem affectionis, ut videri potest paulo infra Num. 5.

10 *Sed affectum suum effectum non dare.*] Sunt melliculi quidam tales, qui facile blande erga alios afficiuntur, miseratione aliquâ etiam tenentur, sed cum res postulat, non ferunt opem: in his amor affectionis sterilis est, & non producit amorem affectionis: quos homines nullius æstimandi sunt: habent enim in se semen aliquod veri amoris, sed sine fructu; amor autem affectionis velut semen quoddam hunc tantum usum habet, procreet amorem affectionis; alias de se

pro-



suum, effectum non dare, & oblatâ occasione non succurrere nobis, nihil pro nobis præstare vel moliri, aut certè talem ejus Amorem non magni facimus: Argumento claro, quod *Amor* magis propriè magisque naturaliter sonet Amorem effectionis, quam affectionis.

4. <sup>11</sup> Vulgus, quando nomine *Amoris*, ferè Amorem affectionis seu certam illam *passionem*, quam N. 1. discussimus intelligunt, hinc totam etiam Virtutis rationem illi *Passioni* assignant: putantque se tum demum probos esse, cum tenero aliquo affectu in Deum & Rationem feruntur; sed cum deliciis his (<sup>12</sup> nam ita fieri natum est)

B 2

exui

prorsus inutilis est: abarcendi igitur sunt hi homines cum auxilio nobis & te opus est, atque cum mulieribus & pueris habendi, qui cum in periculis versamur lacrymis suis & teneritudine potius obsunt, quam profunt.

<sup>11</sup> *Vulgus quando nomine amoris fere amorem affectionis, seu certam illam passionem.*] Nempe naturali instinctu novit vulgus (quod & verissimum est, & in quo tamen scholæ turpiter lapsæ sunt, ut patebit hoc cap. 3.) virtutem esse amorem, sed cum illi nomine amoris tantum intelligant certum sensum seu passionem: nominatim ad devotionem, ut ipsi loquuntur, id est, ad tenerum illum sensum, qua ergo Deum & legem seu rationem blande afficiuntur.

<sup>12</sup> *Nam ita fieri natum est.*] Nimirum amor affectionis, ut ante notavimus, pendet à constitutione

cor-



exui se subito vident, anguntur, consternantur, non aliter, quam si hoc ipso certam & indubitam Virtutis jacturam fecissent. Quibus anxietatibus & scrupulis non aliter exolvi possunt, <sup>13</sup> quam si verè humiles esse discant: stetque illis hoc, sui oblectamenti aut solatii gratiâ nihil; ex contemplatione verò Rationis omnia, & facere, & missa facere: <sup>14</sup> Perversissimum est autem

corporis: fieri ergo facile potest ut corpore minus bene ad prædictum amorem concipiendum constituto, amor ille, ejusque delicia non adsint, etiam si causa ejus sit in mente: inquam fieri potest ut probitas sit sine devotione, eo quod corpus ad devotionem non bene sit affectum.

<sup>13</sup> *Si verè humiles esse discant.*] Si qui verè humiles fuerint, facile recuperabunt præmiam illud humilitatis, pacem securam nempe, pacatam & tranquillam conscientiam à passionibus omnibus & perturbationibus liberam, de quo præmio infra Tract. 5. Imo si verè humiles fuerint præmia sua non desiderabunt, satis illis erit Divinæ legi obtemperare: ut infra hoc etiam tractatu de adminiculo humilitatis, præsertim N. 4. Hoc ipso verò quo non desiderant pacem, sed legem Dei, hoc ipso inquam in mediis suis perturbationibus & anxietatibus conscientia certissimam pacem & tranquillitatem consecuti sunt.

<sup>14</sup> *Perversissimum est autem scrupulos illos expellere directe velle.*] Non mirum: quid enim te moveat ad expellendum nisi Philautia, seu amor tui ipsius, ut nempe liber sis ab illis vexationibus, iterumque secure & suaviter degas; quale propositum abit quam longissime ab eo proposito in quo virtutis natura consistit,



autem scrupulos illos expellere directè velle: Quæ melius constabunt ex iis, quæ dicam infra cap. 2. ubi de Humilitate expressè professio agam.

5. Comitantur interim inter se hi Amores ( affectionis & effectiois ) sæpissimè : & subinde quidem Amor affectionis generat Amorem effectiois ; subinde contra : Amor effectiois in civili commercio sæpe generat Amorem affectionis : Primò enim, qui ambiunt, quique beneficium aliquod aucupantur, gratiam inire student apud eos, quorum favore, id impetrare se posse confidunt, eorumque sibi affectum demereri conantur blanditiis, assentationibus, officiis, muneribus, & si nihil aliud suppetat, precibus: <sup>15</sup> hunc Amorem affe-

B 3

ctiois

fit, utpote quod nihil sibi præstitutum habet, nisi legem Dei, officium & obligationem. Itaque ne quidem allequeris pristinam tuam securitatem, hæc enim quærendo perditur, estque de eorum genere, quæ ultronea sunt, & non nisi sponte obveniunt (vide hoc Tract. de adminiculo Humilitatis N. 4.) Majoribus ergo indies anxietatibus & scrupulis intricaberis, nisi hanc tranquillitatis tuæ cupiditatem novis cupiditatibus & peccatis obruas, & quasi sepelias; quæ & vera & horribilis philautiæ merces est.

<sup>15</sup> *Hunc Amorem affectionis si sibi demeruerint.] Nempe homines soleat actionibus suis passiones suas sequi, & prout affecti sunt, ita & dicunt & faciunt.*

ad



ctionis si sibi demeruerint, satis certi sunt nasciturum inde Amorem effecttionis, seu propositum benefaciendi, & ex hoc, ipsa beneficia quæ aucupantur. Contra verò Amor effecttionis subinde etiam generat Amorem affecttionis: <sup>16</sup> Quod in sublimiori commercio usu venit; velut cum verus aliquis & cordatus Philosophus discipulum, puta Socrates Platonem, Sapientiâ imbuendum suscipit: Primò enim Socrates animum suum inducit benefacere Platoni, bene illum instruere, & sibi simi-

dem,  
admodum quidem hoc perversum est; (Imo in ea animi propensione, quam omnes in nobis tam luculenter sentimus ad accommodandam affectibus suis actionem, consistit origo omnis peccati, ut infra Tract. 4.) decet enim actiones nostras præcere, tum passiones seu affectus, quique adhæserint, æqui bonique facere, & velut pensum nostrum, velut partem non minimam humanæ conditionis, quam Deus nobis imposuit, considerare: & si quidem blande nos afficiant, Deo gratias agere, (ut infra Tract. 2. ubi de pietate) si minus æquo animo ferre, quod ferendum est quomodocunque, hæc melius patebunt infra Tract. 4.

<sup>16</sup> Quod in sublimiori commercio usu venit.] Hoc masculinum est, non sinere se præveri à passionibus, id est, nunquam illis hoc juris dare ut actionem aliquam nostram, aut jubere aut inhibere possint; sed totum illud jus rationi integrum relinquere: hæc enim videt, hæc dux esse potest actionum nostrarum; passiones omnes cæcæ sunt.



Iem, id est bonum reddere (quod est summum benefaciendi propositum) ex quo Proposito nascitur in Socrate tener aliquis affectus erga Platonem, seu talis aliqua suavitas animi, qua cum in alios ferimur, eos amare vulgo dicimur. Idem etiam obtinet in Virtutis exercitio: Probi enim non primò tenerè & suaviter erga Deum ac Rationem afficiuntur, ex qua deinde animi teneritudine ac suavitate moveantur ad obediendum Deo ac Rationi (is enim processus illegitimus est, & vitio non caret, ut infra patebit, ubi de passionibus agemus) sed contra, primò firmiter volunt Deo ac Rationi obedire: <sup>17</sup> & inde naturaliter ut plurimum pullulat in iis suavitas quædam erga Deum ac Rationem, & talis animi teneritas, quam *Amorem* generatim, & speciatim in hac materia *Devotionem* vulgus vocat.

6. Porro Amor affectionis rursus duplex est, nempe Amor benevolentia, & Amor Concupiscentia: Amor benevolentia est Propositum firmum alteri benefaciendi. Et hic Amor etiam non constituit

B 4 Vir-

<sup>17</sup> *Ut plurimum pullulat.* ] Cautè: non est enim necessarium ut semper pullulet talis flosculus ex tali furculo; sæpe enim obstat hic valetudo corporis & alia ejus affectiones, ob quas ad tenerum illum affectum non faciat: ut jam aliquoties monuimus.



Virtutem: Virtus enim est Amor Rationis; at nos Rationi bene aut malè facere non possumus: nihil ei feritur aut metitur, cum nos bene agimus: nihil ei detrahitur, cum malè: Ratio enim in nobis est imago divinitatis: cui proinde, quatenus imago est (& sic tantum amanda) <sup>18</sup> non potius quam ipsi Deo bene vel male fieri à nobis potest: Sic si moderatè, si fortiter te geras, Rationi quidem obtemperas, sed hoc tibi bonum est, hoc tibi bene cedit, non Rationi; si vero petulanter aut effeminatè facias, hoc tibi probro est, qui

<sup>18</sup> Non potius quam ipsi Deo bene aut male fieri à nobis potest ] Unde non potest sine turpitudine & scelere esse amor benevolentiae aut beneficentiae in Deum: cum enim dignior sit persona patroni quam clientis, ejusque qui beneficium impertit, quam qui beneficio gaudet & fruitur: non possumus Deo beneficium aliquod nostrum impingere velle, quin hoc ipso nos efferamus, & in eo saltem negotio, nos ei anteponamus & ipso digniores esse velimus, (quae melius constabunt infra Tract. 3. ubi de fine beneficentiae) Cautissime ergo temperandum est isti Cacozeliae, qua multi praeposterè feruntur; hoc sibi praestitutum habentes, ut Deo gloriam aliquam & honorem apud homines, tanquam beneficium aliquod, quo Deo gratificentur, acquirant: summus noster amor, summum nostrum officium & obsequium erga Deum, in nostrà erga legem ejus obedientià terminatur: cæterum quicquid etiam fecerimus, servimus ei volentes nolentes (ut videre potes hic §. 2. Num. 2.)



Rationi non auscultas c : ipsam Rationem  
sordes tuæ d temerare non possunt: 19 Sic-  
ut quod speculum veras rerum imagines

B 5

re-

c Amor igitur benevolentia est extra terminos vir-  
tutis : nam circa Deum , & rationem , quam virtute  
amamus , benevolentia nostra vana est & frustra .

d Et fæda peccatorum nebula , nequaquam lumen  
quod divinus ille sol evibrat , temerare potest .

19 *Sordes tuæ temerare non possunt.* ] Quamvis in  
Deum & rationem amor noster benevolentia non  
quæret , ut jam ostendimus ; quadrat tamen amor  
aliquis approbationis , consensus & acquiescentia :  
dum scilicet approbamus essentiam Dei & attributa ejus ,  
ipsamque adeo legem & Rationem , quam nobis in-  
culcavit . Sed hic amor non spectat ad Virtutem for-  
maliter : Virtus enim respicit officium & actionem  
aliquam , quæ nobis per legem injuncta sit ; adeoque  
virtus est talis amor , qui rem præcedit ; approbatio  
vero est talis amor , qui rem approbatam sequitur :  
virtute amamus quod faciendum est ; approbatione  
amamus , quod factum est . Quadrat tamen amor ali-  
quis approbationis . Re bene perpensa videtur hoc re-  
tractandum esse , quod hic de amore approbationis in  
Deum dicebamus : non enim videtur talis aliquis  
amor noster in ipsum quadrare : debet enim ad pro-  
bam , ad regulam , ad mensuram applicari , quod ap-  
probatur ; nec ante approbari potest , quam factio exa-  
mine ( quod in illâ applicatione consistit ) inveniatur  
cum probâ , cum regulâ , cum mensurâ sua quadrare .  
Sic V. G. lineam calamo forte ductam examinamus ad  
vivum , an rite imitata sit : res omnes examinamus ad  
ideam , & prout ab illa defecerint , vel cum illa con-  
venerint , probamus aut improbamus . Nihil simile in  
Deo locum habet ; ad nullam regulam applicari po-  
test



reflectit, laudatur; quod falsas & contortas, vituperatur; 2<sup>o</sup> res ipsas ideo quæ repræ-

test, qui ipse suprema regula est, neque ipse ab idea sui, quam nobis communicat (sicut res alia) sed contra hæc idea ab ipso dependet. Non est ergo ad quod Deum referamus, ad quod ejus naturam & essentiam comparemus, ut approbatione nostrâ in hæc ferri legitime possimus. Unde qui approbant, si se ipso ad vivum discutiunt, videbunt plerumque se Deum comparasse cum aliquo, quod ipsis gratum, pulchrum & excellens videtur, & eatenus approbare, quatenus cum illo figmento suo existimatur convenire: in quâ approbatione sine dubio peccatum est: hinc tot monstra Deorum apud Poëtas Gentiles, supersticiosos & phantasticos homines: Deum quolibet cum cerebri sui figmento aliquo comparante, quadrante & eatenus approbante, Restat igitur nobis sola obedientia, solus amor servitutis, quo pro modulo nostro in Deum ferri legitime possimus & jugiter debemus.

21. *Res ipsas, quæ representantur, vituperandas nemo vel laudandas putat* ] Nimirum actiones nostræ sunt quasi speculum (speculum non depravat imaginem rei representatæ in re ipsa, sed in se, seu in ipso speculo: unde tota illa turpitudine atque deformitas pertinet ad ipsum speculum, non autem ad rem representatam: sic etiam nos dicimur aliquando legem Dei rescindere, conculcare, pervertere, &c. sed in nobis ipsis, non vero in ipsâ lege ita ut tota illa deformitas in nobis maneat, nihil ejus ad legem ipsam pertinent) *Rationis & legis Dei*: si bene referant rationem, & illud in se contineant, quod præscribit, bonæ sunt & laudabiles; si vero pervertant speciem rationis in illis relucens, malæ sunt & vituperandæ; quod totum ad ipsam rationem seu legem Dei nihil attinet: ut quæ inde ipsa in sese nec pulchra magis sit nec



præsentantur, vituperandas nemo vel laudandas putat. °

7. Amor concupiscentiæ non est aliud quam firmum propositum, aliquid consequendi: 21 qualis est amor hominum erga

B 6 opes,

nec deformis: sicut nempe res speculo representata, manet eadem, siue speculum bonum sit & rite representet, siue malum sit & speciem rei intorqueat & depravet.

° Ita etiam cum recta ratio, pro-ut ad vivum est, in actionibus tuis depicta conspicitur: age! actiones tuæ laudandæ sunt, & tu qui agis, probus: at vero si ratio in tabulâ actionum tuarum manca videtur & defectuosa: illa tamen remanet, & est quæ est, pulchra illa ac diva: tantum non est vera imago tua & tu pictor manu tua aberrasti.

21 *Qualis est amor hominum.* ] Dixi circa Num. 2. Firmum propositum semper esse amorem, sed non denominare quicquid isto firmo proposito astringitur; denominare vero Finem-cui: sic etiam amor concupiscentiæ, cum sit propositum, proprie tantum denominare poterit finem-cui: & homines amantes divitias, honores, &c. (cum hæc propter se ipsas velint) proprie se ipsos amare dicendi sunt: ipsi enim sunt fines-cui istius sui amoris seu propositi: sed regulam illam denominationis non servant hic homines; cumque volunt opes aut honores sibi comparare, non dicunt ipsos se amare, sed amare se honores, opes, &c. quod si aliis ista vellent comparare, dicerent aperte se alios illos amare: ex quo patet eos palliare amorem concupiscentiæ, & obscure ferre ac dissimulare: vident enim male sonare, & nullatenus plausibile esse, si quis se ipsum amare dixerit: hoc igitur abusu sermonis, & alio modo loquendi in amore concupiscentiæ



opes, honores, voluptates, &c. quæ homines sibi ipsis consequi student: unde non est aliud, quam Amor sui, seu Philautia. Hic Amor longissimè abest à ratione Virtutis: est enim fomes Peccati, aut potius ipsissimum Peccatum: <sup>22</sup> ut infra melius patebit, cum de Peccato agetur. <sup>23</sup> Enimvero oportet eum, qui oculum adjecit

Ra-  
tia atque in amore benevolentia satis testantur se aliquam turpitudinem in amore concupiscentia agnoscere: & merito, est enim hic amor ipsissimum peccatum, ut magis patebit ex sequentibus.

<sup>22</sup> *Ut infra melius patebit.*] Nempe Tract. 6. ubi de Antipathia sive naturali differentia bonorum & malorum inter se.

<sup>23</sup> *Enimvero oportet eum.*] Radix Ethices est humilitas, abire à se ipso, nullâ sui cura aut contemplatione teneri; finis vero & fructus Ethices est lex & obligatio nostra, qua rationi ac Deo ipsi quodammodo adstricti tenemur: impossibile enim est, ut ad fructum Ethices accedat, seu ad Deum & legem ejus, qui non quasi ante jam se ipsum deseruerit: lex enim quæ talis atque obligatio quæcunque, nunquam respiciunt emolumentum obligati (ut in proœmio hujus libelli annotavimus: & plura hanc in rem dicentur infra.) Igitur præmia virtutis poenæque peccati ad Ethicam directe non pertinent: Ethica sistit gradum, cum eventum est, ut, quid nobis agendum omittendumve sit, clare liqueat; quid inde consequens, non putat suâ referre; scit tamen vir bonus hæc sua præmia, & ante destitutum esse Deum, quam probos suos non coronet, optime intelligit (& intelligimus nos ipsi) nihilominus propter hæc sua præmia nec agit quicquam, nec omittit agere: Lex ei Divina satis est.



Rationi, à sua ipsius ratione recedere quam longissimè : In via Virtutis opponuntur istæ rationes : huic tergum obvertit ; in illam obviis ulnis fertur, quisquis laudatam illam semitam insistit. Neque ullum certius criterium, penes quod speciosos illos improbos, Virtutem tam callidè mentientes internoscere possimus, quam frivolum illud verbum, quod illis in ore frequenter, in mente semper, *Meum*: Qui enim se curat, & rem suam agit, <sup>24</sup> scelestissimus est hoc ipso ; utut cæterum magnificè Virtutem crepet, aut etiam scienter & peritè de illa disputet.

8. Atque hi sunt tres Amores, qui jam in mentionem inciderunt (Amor affectionis, & duo Amores effectiois, benevolentia scilicet & concupiscentia.) In Scholis etiam hi tres Amores satis decantati sunt ; sed, ut vidimus, sunt extra rationem Virtutis,

<sup>24</sup> *Scelestissimus est hoc ipso.*] Non quasi omnia scelerata atque *deficia* omnia perpetraverit ; sed quia habet in se seminum cujuscunque sceleris, & bonam tantum fortunam atque casu à nefariis abstineat ; quæ equidem laus ei non debetur ; sed bonæ & favorabili fortunæ (ut loqui solemus) adscribenda est : quantum enim de se erat, tam facile prorupisset in facinus immane aliquod, quam in leve forte mendacium ; abiit enim à ratione, sicut illud Ariadnes abrupit : bona fortuna est, si non incidit in Minotaurum & devoratur ; hunc bonum casum ne adscribat sibi,



tutis, ad naturam seu essentiam ejus non pertinent. Restat quartus quidam Amor, qui Scholis, quantum perspicio, non satis innotuit; pertinet tamen etiam ad Amorem effectiois, potestque vocari *Amor obedientiæ*: Atque non est aliud, quam firmum propositum, id exsequendi, quod alius jusserit. Et hic demum Amor Virtutem constituit: Rationem enim, quam Virtute amamus, amare non debemus aliter, quam firmo Proposito faciendi id unum quod ipsa jusserit.

Argu-

25 *Et hic demum amor Virtutem constituit.*] Per virtutem ergo dicimus amare rationem, legem Dei, & quodammodo ipsum Deum: ista enim sunt finis cui istius propositi, quod virtutem constituit, non quidem finis cui benevolentia, nec approbationis ut ante annotavimus Num. 6. sed finis cui obedientia. Possumus vero aliquatenus etiam inter homines amare aliquem amore obedientia, non amantes illum amore benevolentia: ut saepe magistratui obedire volumus, etiam cum illi nihil boni aut mali volumus; sed nobis ipsis tantum aut comparare, primum aut penam evitare: sic igitur rationem etiam amare poterimus amore obedientia, nullo erga ipsam amore benevolentia adducti; sed cum magistratum sic amamus amore obedientia, tunc nos ipsos amamus amore concupiscentia; quod erga rationem non licet similiter adhibere: cum enim rationem amamus amore obedientia, tunc impossibile est ut nos ipsos amemus amore concupiscentia: cum Virtutis suprema lex sit se ipsum relinquere, se ipsum non amare.



## Argumentum hujus.

## §. I. De Amore.

**A**mor est duplex, dilectionis & affectionis :

*Amor* dilectionis rursus duplex est ; sensibilis seu corporalis ( qui est amor passio aut amor affectionis ) & spiritualis ( qui est approbatio quædam : & hic eminent ea approbatio , qua nostras ipsorum actiones approbamus , eo quod cum ratione seu suprema regula convenient. ) Corporalis ille magni fit passim ab hominibus , spiritualis ille pro nihilo fere ducitur : homines enim addicti sunt suis sensibus. Hæc fere tractantur Num. 1.

Neuter ( neque scilicet amor dilectionis , neque amor affectionis ) virtutem constituit : nam sine & cum illo virtus esse potest ; sine hoc vero , virtus quidem esse non potest ; sed est eo prior. Hæc Num. 2.

*Amor* affectionis est firmum propositum : denominat finem-cui : sæpe generatur ex amore affectionis ( quod in vitio est & ad intemperantiam pertinet ) aliquando illum generat ( quod fit sæpe in virtutis exercitio ) aliquando hic sine illo , & aliquando ille sine hoc est. Hæc Num. 5.

*Amor*



*Amor affectionis, aut benevolentiae est* (hic ad virtutem non facit, cum nos Rationi bene aut male facere non possimus) aut concupiscentiae est (& hic multo minus ad virtutem facit, cum eo amore nos ipsos amemus, non rationem) aut obedientiae est (& hic denique virtutem constituit: nam alius amor in rationem non quadrat.) Hæc Num. 6. 7. & 8.

Inter hæc notatur etiam error vulgi. Hi enim sensibus dediti virtutem constituunt in amore affectionis, seu in certâ passione, & ideo cum illa passione carent, magnopere anguntur. Hæc Num. 3. & 4.

### §. 2. Ratio.

**Q**uid sit Ratio, non debet dici, imo ne potest quidem (vide sis Logicam nostram, præsertim *par. 4. sec. 1. cap. 6. & ibid. cap. 12. num. 4.*) Quid inquam, sit Ratio; <sup>1</sup> satis superque notum est nobis omnibus, <sup>2</sup> quorum hoc insigne est, rationales

<sup>1</sup> *Satis superque notum est nobis omnibus.* Et ideo non debet dici quid sit: nam dicere quid sit, est declarare; jam autem quod satis notum est & clarum, declarari amplius non debet.

<sup>2</sup> *Quorum hoc insigne est, rationales esse.* Ideo ratio tam clara nobis est, quia est aliquid nostrum, quod no-



nales esse: Nec refert, quod Ratio quam plurimis occasionibus ignota sit, obscura, perplexa: <sup>3</sup> nam sufficit eam in aliquibus sal-

nobiscum jugiter circumferimus, quodque cum volumus inspicimus, sicut simili de causa §. I. sub initium dictum fuit, quid sit amor non esse dicendum: eadem enim est utriusque causa & hæc talia dum scholæ definitionibus logicis illustrare voluerunt, nihil aliud egerunt, quam ut sibi ac aliis quasi deditâ operâ, obscura ea reddere velle viderentur.

3. *Nam sufficit eam in aliquibus saltem circumstantiis perspectam habere.* ] Ratio Ethica hic omnibus hominibus satis perspecta est: ubi nihil valet, ibi nihil velis, seu nihil frustra faciendum est, quod est exemplum rationis Ethicæ imo vel summum Ethices principium: ex quo facile sequuntur omnes & singulæ obligationes, quæ utramque paginam in Ethica faciunt, & de quibus agitur infra. Si enim nihil frustra faciendum, ergo non reluctandum Deo vocanti, & ab humana conditione nos solventi seu mortem indicenti (quæ est prima obligatio.) Si nihil frustra faciendum, ergo non reluctandum Deo ac huc vivere jubenti, adhuc nos in humana conditione detinenti (quæ est secunda obligatio.) Et si hæc i a sint, ergo victus quarendus (quæ est tertia obligatio) & si ita ergo munus aliquod fungendum, &c. Cum igitur ratio in his omnibus tam manifesta nobis sit, non debemus absolute dicere, rationem obscuram nobis esse; etiamsi alibi forte etiam in rebus moralibus obscura nobis esset: V. G. incensâ turri, in cujus forte culmine consistimus, exiliendumne sit an permanendum: hic quidem ratio obscura est omnibus, qui *Ethicæ periti* (nam quod cæcus non videt, hoc cæcitati, non solis fulgori imputandum) non sunt; sed non ideo obscura est ratio: nam quod alicubi manifestum, alicubi tectum & obscurum, id absolute manifestum, & tantum secundum quid obscurum est.



faltem circumstantiis perspectam habere,  
ut non ignota dicatur: + Sicut patrem  
suum

4 Sicut patrem suum filiusfamilias novit; etiam si non noverit illum eminus versantem, aut in tenebris, aut in conferta hominum huc illuc discurrentium turba, aut habitu peregrino, vel muliebri larvatum. In his omnibus casibus filiusfamilias absolute dicitur patrem suum novisse, sed tantum non agnovisse dicitur: multum enim interest inter cognoscere & agnoscere: multa enim cognoscimus, quæ jam non agnoscimus: & filiusfamilias hic agnoscit quidem patrem suum, sed sic larvatum non agnoscit: sic etiam Ethicæ rudes cognoscunt rationem, sed non agnoscunt eam in his V.G. circumstantiis; cum turris incenditur, & quis culmine ejus deprehensus est, liceatne exilire an permanendum sit? In his enim & similibus circumstantiis, ratio iis quodammodo larvata est aut velata: velamento autem isto per bonam Ethicam detracta, non tantum noscunt, sed & agnoscunt nobiscum rationem sub illo velamento latentem. Hic interim pandit se insigne discrimen inter cognitionem & amorem: nam quod alibi noscis, alibi non noscis, hoc absolute noscis; sed quod alibi amas, & alibi non amas, hoc absolute non amas: unde qui amicum amat juxta tritum hunc versiculum,

*Dum fueris felix multos numerabis amicos,*

*Tempora si fuerint nabilia, solus eris.*

clare intelligitur non amicum amare, sed amici fortunam. Similiter qui rationem alibi amat (V.G. cum parcendum est sumptui) alibi non amat (V.G. cum sumptus faciendus est) is absolute non amat rationem, sed ad summum amat certum modum & circumstantiam rationis: Ex quo jam etiam incidenter patet verum esse illud Stoicorum paradoxum: *Qui unum habet, omnes habet virtutes*: nempe non datur rationem alibi amare, & alibi non amare; sed qui eam alibi non amat, nusquam eam amat.



suum filiusfamilias novit; etiamsi non no-  
verit illum eminens versantem, aut in tene-  
bris, aut in conferta hominum huc illuc  
discurrentium turba, aut habitu peregrino  
vel muliebri larvatum. Sed hæc latius dis-  
cutere, non est hujus loci: &, ut dixi, Lo-  
gicam meam adeas licebit. Igitur ad rem:

2. Virtus est Amor Rationis, & non  
tam propriè aut saltem non tam propè  
ipſius

5 *Et non tam propriè, aut saltem non tam propè  
ipſius Dei in se.*] Ut ratio hic reddatur, cur virtutem  
potius amorem rationis, quam amorem Dei esse di-  
xerimus. Christiani quidem in Ecclesiis suis hoc sem-  
per dicunt, Virtutem esse amorem Dei, & verum di-  
cunt, est enim quodammodo virtus magis Dei, quam  
legis ejus amor: sicut enim qui mandatum principis  
amat (id est, obedire ei vult) magis mandatum illud,  
quod in tabulis exaratum est, amat. Sic boni omnes  
magis legem Dei seu rationem, ut à Deo concepta  
est, quam quod ab eo dimanat, & in mente nostra,  
ceu in tabula exaratum est, colunt & obediendo di-  
ligunt; Jam vero lex illa seu ratio seu decretum nos  
obligandi in Divina mente, re ipsa Deus est: sub hac  
igitur consideratione tam piâ merito dicunt Christia-  
ni virtutem magis esse timorem Dei, quam legis ejus;  
sed verò absolute secundum *angelicorum*, id est, accu-  
ratam diligentiam Scholasticam ac Philosophicam  
loquentes, dicere debemus, virtutem amore illo obe-  
dientiali, in quo natura ejus absolvitur, non tendere  
in Deum usque; sed ante deficere sub ipso nimis ex-  
celso atque sublimi; quam ut amore nostro attingi  
possit, & in lege ejus seu ratione stare atque termina-  
ri, quod rationibus, quæ hic in textu subjiciuntur, in-  
victissime probatur.



ipsius Dei in se : Deo enim, quidquid agamus, aut non agamus, necessario obedi-  
mus : Alioqui enim quomodo Deus erit  
(quod necessario est) beatus, si voluntati  
ejus resistere quisquam valet ? si fiat ali-  
quid, quod ipse fieri non vult ? Nihil enim  
aliud est infelicem esse, quam pati aliquid  
contra animi sui sententiam : & unusquisque  
que nostrum est infelix hoc ipso, quo ali-  
quid fit vel est, secus quam volumus.  
Igitur Propositum obediendi Deo in se  
& separatim à Ratione, tam est ineptum in  
nobis, quam propositum procurandi ut  
mons habeat suam vallem, aut tres anguli  
in triangulo simul sumpti, æquales sint  
duo-

*6 Deo in se & separatim à ratione.]* Obedimus Deo  
in modo & in consideratione aliqua nostra : scilicet in  
illa consideratione, qua consideramus illum ut legis-  
latorem nostrum, ut concipientem in se rationem,  
quam nobis dicit & insculpat ; & propositum ipsi sic  
obediendi non est vanum, non est malum : sed con-  
tinet in se totam virtutis naturam (ut jam paulo ante  
satis annotavimus) sed propositum obediendi Deo in  
se, ut absolute in se est, & seclusâ quâvis tali conside-  
ratione, ineptum est, vanum est, atque ridiculum, imo  
cum bene discutimus impium : supponit enim clare  
Deum indignum opus nostræ, Deum cui benefacere  
nos possumus, id est, Deum certo negotio inferiorem  
nobis : vis enim facere quod ipse vult, & putas te  
posse facere quod ipse non vult, quid hoc aliud est,  
quam persuasum tibi esse, posse te de illo bene vel  
male mereri ?



duobus rectis: Absolutæ illi, veræ & rigi-  
dæ Dei voluntati parere velle, <sup>7</sup> est actum  
agere: velis nolis, parebis: sicut & res  
omnes necessariò parent ( Quomodo au-  
tem inde nullatenus sequatur <sup>8</sup> quod Deus  
sit auctor Peccati, item quomodo hæc  
<sup>9</sup> cum

<sup>7</sup> *Est actum agere.*] Alibi paræmia est, hic veritas; nam actum agere dicuntur, qui frustra faciunt aliquid: ideo quia quod actum est adhuc agere, frustra est, & *cessante fine, cessant media* (ut scholarum axioma est) hic vero Deo absolute parere velle, est in rei proprietate, & sine ullo tropico aut proverbiali sermone id velle agere, quod jam actum est: agit enim hoc Deus atque natura, & fatali necessitate hoc egit ut omnia subiecta essent voluntati divinæ; velle te ergo aliquid ei subicere, quid aliud est, quam id agere velle, quod jam actum est? quid aliud, quam circulum de areâ suâ velle prospicere? quam haberet equidem velis tu aut nolis

<sup>8</sup> *Quod Deus auctor peccati*] Etiam si velit Deus actus illos, qui sine peccato & scelere à nobis non perpetrantur; ipse tamen eo non est auctor peccati, sed auctor naturæ: non vult enim eos ut scelesti sunt, seu ut à regula, quam præscripsit, delirant; sed ut sunt res naturales, in quibus hæctenus nihil est mali.

SICUT IGITUR ULNA. Nunquam quidem similitudinibus illis hoc efficere possumus, ut absolute conciliare rem illam ineffabilem possimus: omnis enim instrumentum illud vera conciliatio supponit comprehensionem utriusque extremi: concilianda autem hic est Dei potentia cum Dei bonitate: potentia, quâ efficiat omnia, seu omnes res veras, ita ut nihil fiat præter, nedum contra voluntatem ejus; Bonitas, qua peccatum non cupit, sed execratur illud  
in



in nobis merito & punit : Hoc vero utrumque conciliationis proposita membrum (Bonitatem inquam & Potentiam Divinam) ut apprehendimus clarissime, ita nequaquam comprehendere valemus : atque adeo desperatum est de omni tali conciliatione apud nos; qui intellectum finitum habemus. Et non spectat ad minimam impietatem ille humani ingenii pruritus ad conciliandum ea, quæ captum excedunt nostrum eo enim clare vergit, ut tandem Deum comprehensibilem nobis existimemus (id est, nos æquales illi) & omni conciliatione intellectu nostro detectâ, ineffabilitas ejus tollatur (quæ in eo versatur tota, ut & facere ipsum, scire nos, & quomodo faciat, nescire nos, clarissime recognoscamus) hac vero sublatâ, adorabilitas ejus auferatur (quæ ineffabilitatem tanquam necessariam causam supponit ut infra Tract. 2. ubi de pietate & religione, clare demonstrantur) omnisque adeo religio & divinus cultus intercitat. Hac igitur omni istâ conciliationum prurigne depositâ, nobis satis esse debet, quod utrumque membrum conciliationis seorsim clare distinctèque percipiamus : ut in casu posito contingit; nam clarissime intelligimus nihil fieri, nisi quod Deus directe fieri vult (quod est unum membrum) rursusque improbare, eum peccata nostra & graviter ulcisci (quod est alterum membrum).

*Sicut igitur ulna* (instrumentum illud deigno, quo mercatores pannum metiuntur) longitudinem quidem habet, eamque desiderat, ut sit id quod dicitur, nempe *ulna*; latitudinem vero atque crassitatem non absolute respicit (fieri enim nequit, ut quod longum est, non pariter latum sit atque crassum : ut in Metaphysica demonstramus) sed tamen ut ulna respicit (nam quid ad pannum metiendum confert latitudo vel crassitudo istius instrumenti?) sic etiam Deus, quatenus rationem nobis præscribens, & rerum agendarum ordinem, imo quatenus ipse



cum libertate actionum nostrarum consistant, non est hîc dicendi locus) Nihil illâ Veritate liquidius clariusque cogitari potest, quamdiu seorsim ab <sup>2</sup> objectionibus & sophismatis, quæ in Scholis contra eam moveri solent, consideratur, <sup>1</sup>o *Deo necessario morem gerunt omnes, imo omnia; sed Legi*

- » ipse illa ratio & ille ordo est, respuit penitus & averfatur actus illos nostros, in quibus peccatum
- » aliquod & defectio à præscripta nobis regulâ ac supremâ normâ continetur; absolute vero, & prout
- » ipse est auctor naturæ, actus illos vult (nec enim fierent, si non vellet) sic enim in illis actibus nihil
- » mali est.

9 *Cum libertate actionum nostrarum consentiant.]*

Navis ocissime vectorem abripiens versus occidentem, nihil impedit, quo minus ille in navi ipsa deambulet versus orientem: sic voluntas Dei omnia portans, omnia vehens fatali impetu, nihil obstat, quominus nos quantum est ex parte nostra obluitemur voluntati ejus, liberâ & plenâ nostrâ deliberatione. His & similibus analogiis assueti, tandem rem ipsam, quæ hic magis propter insolentiam cogitationum nostrarum, quam propter se ipsam difficilis est, quasi familiaritate quadam inîtâ (hic enim fructus est similitudinum, & alio non serviunt & alio non conducunt) satis superque percipiemus.

<sup>2</sup> Quod in versione Belgicâ auctor hoc modo expressit elegantissimè. *Bezjydens stellende de twiſtreden en neus-wijse gzeven der Scholen.*

10 *Deo necessario morem gerunt omnes, imo omnia.]*

Ergo vanum est propositum, ei secundum se obedire velle, vanus est amor obedientiæ nostræ erga ipsum in se

se



Legi quam Deus nobis dixit, id est Rationi parent aliqui, & hi *Boni* dicuntur; quidam reluctantur, & hi *Mali* sunt.

3. Est etiam Virtus Amor Rationis *re-  
cte*: Nam depravatam Rationem amare non est Virtutis; Ratio autem cum cir-

se consideratum, non est tamen vanus amor approbationis. Loco istius approbationis possemus ponere assensum, quo assentimur propositionibus illis, in quibus attributa Dei de ipso enunciantur, easque pro veris habemus; sed agere videtur hic assensus ad amorem revocari posse: nulla enim in assensu bonitatis malitiae moralis (quae amorem necessario consequuntur) sed tantum veritas falsitasve versatur) quae equidem multum differt ab amore obedientiae: nam approbatio respicit congruentiam effecti cum voluntate divina, ut positam; Obedientia vero respicit eandem congruentiam, ut ponendam à nobis & procurandam. Tempestas est: congruit hoc effectum cum divina voluntate (nec enim esset tempestas, nisi illam esse Deus voluisset) approbo hanc congruentiam; posita ergo jam est. Sed iudum est, & stultitia forte vel cacozelia ductus quis putat ad gloriam Dei pertinere tempestas ut fiat; rogat igitur & alia remedia adhibet fatuus, ut fiat: hic apprehenditur congruentia tempestatis cum voluntate divina, & amatur (perverso licet amore) sed ut ponenda, non vero ut jam posita ideoque hic amor ad obedientiam pertinet.

II *Cum vero circa res morales & Ethicas versamur.*  
Res morales & Ethicae supponunt res naturales & Physicas: nam notitia conditionis humanae pertinet ad physicam; sine autem illa sui cognitione, nihil de rebus moralibus boni verique statui potest, nam ex in-



ca res naturales & physicas ; versamur ,  
depravatur præjudiciis & captionibus ;  
cum vero circa res morales & ethicas ver-  
samur , cum iisdem illis depravatur , tum  
insuper cupiditatibus & passionibus : Un-  
de patet depravatam Rationem non esse  
Rationem : sicut enim impurum aurum  
non est aurum , sed aurum & scoria : sic  
depravata Ratio non est Ratio , sed Ratio  
cum præjudiciis , captionibus , cupida-  
tibus , affectibus . Unde nec erat neces-  
sum , in Definitione adjicere illam parti-  
culam *rectæ* , quia ex se inest , cum *Ra-  
tionis* dictum est : sicut cum *Aurum* dici-  
tur , per se inest *purum* .

C

4. Vir-

inspectione sui tota Ethica omnesque obligationes  
derivantur . Ex quo sequitur Ethicam præ aliis omni-  
bus scientiis , maxime obnoxiam esse erroribus ;  
nam & proprias cloacas habet , unde in aliam errores  
regurgitent (scil. cupiditates nostras atque libidines :  
plerumque enim ut affecti sunt loquuntur homines , &  
ea facienda esse dicunt , ad quæ facienda pronos se &  
inclinatos sentiunt ) & alienas è quibus non minus  
periculosas contaminatur , scil. præjudicia , inscitiam-  
que rerum Physicarum & conditionis humanæ cum  
aliæ fere scientiæ suas modo cloacas habeant , à quibus  
inquinantur .

g Hæ sunt id genus rerum , quod à nostrâ cognitione  
non pendet , atque factum est citra ullum à nobis  
auxilium : quales Sol , Luna , pontus & aether , a-  
liæque quamplurima , de quibus Physica .



4. Virtutem etiam Rationis <sup>12</sup> Amorem *unicum* dixi: Nam Virtus solam Rationem admittit, solam illam sinu complexuque suo

12. *Amorem unicum* ] Unicus amor rationis, est utrius & solius rationis amor: Et quidem Virtutem debere esse amorem unicum erga rationem demonstratur, tum ex notione amoris, tum ex notione rationis: Ex notione quidem amoris, quia non nisi unum amare vere potes, nihil enim proprie amatur nisi finis cui: hic vel unus est, vel multi, si unus, ergo habemus intentum, & unum tantum amatur; si multi, ergo vel divisim vel conjunctim multi sunt. Si conjunctim, unum simul finem constituunt; si divisim, ergo subordinati sunt, & ille tantum qui ultimus est, proprie finis est; proprieque amatur. (Quæ magis constabunt ex Tract. 3. de fine) cum igitur virtus sit amor rationis, amari vero nisi unum eodem tempore non potest, necessum est, ut solius rationis amor sit idem, demonstratur ex notione rationis: nam si per impossibile, amor duorum simul esse posset, adhuc non posset esse rationis & alicujus alterius: Ratio enim ex speciali natura sua & conditione essentiali non permittit se coamari, sed cum amatur totum amorem in se solam deponit: Ratio enim mox atque amari coepta est, amandat amorem, quo amator ille seipsum amet: ostendit enim clarissime ei (quod inspiciendo nos ipsos discemus pag. 67 & seqq.) nihil posse ipsum, nihil valere, nec nascendo, nec vivendo, nec moriendo: ostendit item clarissime ubi nihil valet, ibi nihil volendum esse, nihil attentandum (quid enim hoc dictamine clarius dici potest?) Si igitur rationem hoc dictantem amet, id est, obedire ei velit, necessum est ut omnem sui curam à se studiumque deponat, id est, omnem sui à se amorem abdicet; vides ergo rationem



fuo dignatur ; omnem aliam contempla-  
 tionem excludit <sup>h</sup> : Unde qui partim Ra-  
 tionis , partim sui commodi , voluptatis  
 aut honoris ergo , negotium aliquod ge-  
 rit , malè negotium illud gerit , & non ex  
 Ratione : quia nihil est ex Ratione , nisi  
 quod totum , quantum quantum est , ex  
 Ratione est : Inter præcepta Rationis , hoc  
 unum est , *Omnia contemnenda , præter  
 Deum & Rationem* <sup>i</sup> : unde nemo potest  
 amare Rationem , nisi illam solam amet.  
 Inest igitur etiam ex se satis illa particula  
*Unicus* : & Virtus brevius jam definiri pot-  
 est : *Amor Rationis* : Nam , & quod hic  
 Amor obedientiæ esse debeat , & unicus  
 esse debeat , & erga Rationem rectam ,

C 2

non

nem non pati se amari simul cum eo ipso , qui illam  
 amat : Quanto minus patietur se cum aliquo tertio  
 amari : quibus adde (quod ex sequentibus manifestis-  
 simum fiet) duos esse tantum amores , nempe amo-  
 rem Dei (rationis) & amorem mei , cum amor Dei  
 excludat amorem mei , omnem ergo alium amorem  
 excludit.

<sup>h</sup> Ratio sola sponsus est virtutis : huic soli se com-  
 mittit , totum se adscribit , dat , consecrat. Nec  
 potest cum ratione simul alius quispiam amari , juxta  
 quod belgis notum est : *Gen Minnaer lydt geen  
 tweede ziel.*

<sup>i</sup> Uti patebit postea Cap. 2. Sect. 2. Ubi de hu-  
 militate.



non depravatam, satis innuit notio Rationis. <sup>k</sup>

### Argumentum hujus.

#### §. 2. De Ratione.

**Q**uid sit Ratio, notum satis hoc ipso, quo notum est alicubi (hæc Num. 1.) Virtus potius est amor Rationis quam Dei; nam amor noster scil. obedientiæ (de quo hic solum sermo) supervacaneus est circa Deum ipsum, cui, velis nolis obediendum est. Amor tamen approbationis hic non abs re est, quod vide in annotatis (hæc Num. 2.)

Expunguntur ex definitione Virtutis in fronte §. 1. positæ, duæ hæc particulæ *Unicus*, *Rectæ*, quarum illa generi, hæc differentię adhæret: insunt enim hæc particulæ ex se: nam amor erga Rationem esse non potest, nisi unicus sit, quod tum ex notione amoris, tum ex notione Rationis probatum est; vide in annotatis. (Hæc Num. 4.)

Similiter redundat illa particula *Rectæ*, nam recta Ratio & Ratio idem sunt: nam  
verum

\* Innata nobis, & attentè meditantibus inter notiones primas habenda.



verum seu rectum proprietas entis est, ut scholæ loquuntur, quæ ens omne explanat, nullum restringit. (Hæc Num. 3.)

§. 3. *Habitus.*

<sup>1</sup> Peripatetici & Scholæ, virtutem bene agendi habilitatem esse volunt, frequenti bonarum actionum exercitio comparatam;

<sup>2</sup> sed serò veniunt: nam ante hanc eorum

C 3 virtutu-

<sup>1</sup> Peripatetici & Scholæ, Virtutem bene agendi habilitatem esse volunt, frequenti bonarum actionum exercitio comparatam ] Habitus seu habilitas duo dicit, consuetudinem & facilitatem: hanc ut effectum, illam ut causam: adeo ut habitus non sit aliud, quam consuetudine parta facilitas: Et consuetudo quidem sola non est habitus, nam quæ facilitatem non paret consuetudo, habitus non est: ut lapis sexcenties sublimè projectus, non acquirit habitum ascendendi, nam consuetudo hæc ascendendi, nullam parit in lapide facilitatem adscendendi: Facilitas etiam se solâ ad habitum non sufficit: nam globus in plano facile rotatur & volutatur, nullus tamen habitus in globo agnoscitur, quia non ex consuetudine, sed ex natura certæ figuræ pendet ista facilitas.

\* Cum tota eos sequentium grege.

<sup>2</sup> Sed serò veniunt. ] Cum igitur in habitu tantum duo ista sunt (consuetudo inquam & facilitas) manifestum est neutrum horum pertinere ad Rationem Virtutis, nam nec facile facere, benefacere est, utpote notum est: Et alio non est opus argumento, ut Ratio Virtutis habitui detrahatur.



virtutem, Virtus est: Probæ enim actiones unde? Non aliunde sanè, quam à Virtute. Igitur Virtus est ante probas actiones: igitur multò magis erit ante illam à frequentia bonarum actionum emanantem habilitatem. Adde quod hæc bene agendi per multas actiones bonas acquisita facilitas, felicitas potius, & magis præmium Virtutis, quam Virtus est: Adde quod est res merè naturalis, quæ ex semine suo necessariò propagata, nullum habet cum rebus moralibus commercium.

2. Quod vero Virtutem ideo in habitu constituendam putent, quod etiam probi vocentur, qui dormiunt, aut animo fortè vagantur & aliud agunt, rancidum est, & planè putentem Scholam nobis inhalat:  
Res

3. *Non aliunde sane quam à Virtute.* ] Si enim non proveniant à Virtute (id est à proposito faciendi quod Ratio seu lex divina jubet) ergo vel à nullo proposito vel ab alio proposito veniunt: si à nullo, non sunt actiones morales, sed naturales, quales subinde per oblivionem aut imprudentiam exercemus (V. G. sicuti unguis aut calamum inter medirandum ac acriter studendum amordemus) quæ actiones proinde neque bonæ sunt neque malæ in genere moris: si ex alio proposito fiant, quam legi Dei & Rationi obediendi, non sunt jam actiones probæ, sed vitiosæ: nam *quicquid præter rectum finem fit, ipso non recto fine, peccatum est.* Ita ut non sit opus malo fine ad peccatum; sed satis sit non esse bonum finem.



⁴ Res morales moraliter tractandæ sunt, & non istis spinis: Ecce vir dives, etiam dives dicitur, cum peregrè profectus, opus suas relinquit in patria: redux enim iis, cum volet & ut volet, utetur: sic vir probus, cum dormit aut dormitat, adhuc probus dicitur, quia cum res feret, propositum suum, quo solo bonus est, resumet: & quamvis soleat propositum suum resumere, non tamen illâ consuetudine propositi,

C 4

fiti,

⁴ *Res morales moraliter tractandæ sunt.*] Ad Peripateticum hoc argumentum, quod jam statim præcessit (nempe Virtutem in habitu ponendam, eo quo dormientes etiam probi vocentur, in quibus habitus esse potest; sæpe vero nullus actus est) respondeo: Denominationem posse fieri etiam à causa formali absente: causa formalis in denominationibus est id, unde denominatio desumitur, ut *albi causa* formalis est *albedo*, ab albedine enim alba dicitur quædam: Potest ergo fieri ut causa talis absens etiam denominet: ut consul dicitur à consulatu, quem gessit, juxta Belgicum adagium: *Qui semel consul semper consul*: Sic etiam dives dicitur à divitiis quas penes se non habet, ut in textu: similiter etiam probus dici poterit à probitate (id est à proposito faciendi quod jubet Ratio) etiam cum inter dormiendum, aliæ abreptas cogitationes, probitas seu propositum illud abest. Et alioqui tota hæc de nomine objectio est, ex quo nunquam equidem deducitur firmum argumentum: cum nomina eorumque significatio ab hominum arbitratu mere pendeant, ad naturam rei nominatæ nihil pertineant.



siti, sed ipso proposito bonus est: <sup>5</sup> Sicut nix albere quidem consuevit; sed non illa consuetudine albendi, aut ipsa albedine alba dicitur; etiamsi forte solitum illud & consuetum requiratur, ad hoc ut absolute alba dicatur; cum alioqui si promiscue alberet & non alberet, non magis alba, quam non alba diceretur: <sup>6</sup> Sic etiamsi forte consuetudo aliqua boni propositi bonarumque actionum requiratur, ut quis  
passim

<sup>5</sup> Sicut nix albere quidem consuevit.] Sic etiam hodie parietem album solemus dicere, ideo quia parietes, quâ parte interiorem domum respiciunt, calcibus obduci & dealbari hodie solent, ad conciliandum lumen nostris conclavibus, & ad detergendum facilius pulveres & sordes iis inhaerentes: dicuntur ergo parietes albi, quia solent esse albi; nihilominus non dicuntur albi à solentia ista seu consuetudine (quâvis illa requiratur ad denominationem albi) sed ab albedine iis adhaerente: ita ut consuetudo sit conditio istius denominationis (si enim parietes promiscue in domibus nostris quovis colore inficerentur, non magis albi, quam aliter colorati dicerentur) causa vero formalis istius denominationis sit ipsa albedo: ab hac enim & propter hanc dicuntur albi.

<sup>6</sup> Sic etiam forte consuetudo aliqua boni propositi bonarumque actionum requiratur.] Similiter consuetudo bene agendi est quidem conditio istius denominationis, quâ quis probus esse inter homines dicitur; sed inde nullatenus consequens est, consuetudinem illam etiam esse causam formalem istius denominationis, seu esse ipsam probitatem: quo satis con-  
ruit



passim inter homines bonus dicatur; tamen adhuc illâ consuetudine & habitu non est bonus: & sic illa consuetudo seu ille habitus non est ipsa virtus.

3. <sup>7</sup> Sed etiamsi fortè inter nos, probi viri compellatione non gaudeat, nisi qui assuevit bene agere, absolutè tamen potest jam nunc repentè bonus esse, qui hactenus nequam fuit: si nempe animum aversum à Ratione, jam illico convertat

C 5

ad

rui argumentum Peripateticorum, nam latum discrimen est inter causam formalem denominationis: ut & exemplo jam proxime allegato & infinitis similibus, si id opus esset, comprobari posset: cum enim Leydæ sum, ut Hagæ sim, conditio est, seu requiritur, ut abeam Leydâ, non est tamen causa formalis: non enim ab habitu isto Hagæ præsens dicar (quamvis abitu requiratur ut Hagæ sim) sed à præsentia mea Hagæ præsens dicar. Postremum ut consuetudo (quod impossibile est) esset causa formalis istius denominationis, quâ quis probus esse dicitur: quid de facilitate dicas? Habitus enim non tantum consuetudinem, sed & facilitatem dicit, ut initio hujus §. notavimus: qua fronte dici potest facilitatem agendi probitatem esse? Cum probi sæpe sub Virtutis officio luctentur & desudent summâ cum difficultate.

<sup>7</sup> Sed etiamsi forte inter nos, probi viri compellatione non gaudeat. ] Hic etiam refellitur illud, quod per meram indulgentiam concesseramus, scil. consuetudinem recte agendi, etiamsi non sit causa formalis, tamen esse conditionem istius denominationis, qua probi dicimur; Et ostenditur ne quidem esse

608



ad Rationem, & certum nunc ei sit, <sup>8</sup> non *passionibus* suis indulgere, sed soli Rationi morem gerere: Cum verò nemo sit bonus nisi per Virtutem, efficitur etiam hinc, illum bene agendi habitum non esse virtutem, utpote quem nemo, quando is tantum usu & exercitio paratur, habeat repente. Et sanè omnes omnium Christi Ecclesiarum Oratores id sæpiusculè pro concione inculcant populo, bona opera non esse facienda <sup>9</sup> ex habilitate vel consuetudine,

conditionem, potest enim aliquis absolutè probus esse sine tali conditione, seu sine consuetudine bene agendi: si scil. jam nunc firmum animo propositum concipiat; id unum faciendi, quod jubet Ratio: etiamsi enim tales populi necdum probus esse videntur; est tamen, & absolute nomen illud ei quadrat quod & Christianorum sacris confirmatum est, qui hominem huic proposito immorientem, etiamsi ante maximis sceleribus obstrictus fuisset, æternæ felicitatis compotem fore asserere non dubitant.

8 *Non passionibus suis indulgere.*] Cum in genere moris aliquid agimus, aut ex passione aut ex Ratione agimus, id est, Ratio nos monet ad agendum vel passio; sic, cum passio, peccamus; cum Ratio, probe agimus & bene. Hæc patebunt, Tract. 4. Ubi de passionibus.

9 *Ex habilitate vel consuetudine.*] Nempe quicquid ex his fit, ex passione fit. Nam familiaritas seu amor soliti & metus insolentiæ est passio, qua maxima pars vulgi agitur continue: ut egregie demonstramus infra Tract. 4. De vita vulgi: est igitur omnis actio quæ ex Peripateticorum Virtute procedit, verissimum



dine; sed ex Amore in Deum, aut ut loqui malunt, charitate: quo abundè testantur, se Virtutem in habitu & consuetudine non ponere: nam si consuetudo virtus foret, utique actio quæ ex illa consuetudine procederet, proba foret.

4. 1º Est interim in illo, qui Virtutem subito consecutus est, aliquid usui, consuetudini & facilitati simile: Cum enim amet (nam Virtus amor quidam est, ut patet ex §. 1.) eas, quæ adversus Rationem insurgunt, difficultates contemnit &

C 6

vincit;

rissimum peccatum: cum ex passione agere, peccare sit: ut in ecclesia Christi satis bene observatur, ideo populus fidelis sæpe ibidem admonetur; ne exercitia Christianæ Pietatis obeant ex consuetudine; ut hic in textu dicitur.

1º Est interim in illo, qui Virtutem subito consecutus est, aliquid usui, consuetudini & facilitati simile. Licet hætenus satis demonstratum sit, Virtutem in habitu non consistere, idque argumentis clarissimis, facillimis, & nemini non obviis invictissime comprobatum sit: mirari subeat alicui, quid tandem causæ fuerit, cur Peripatetici Virtutem in habitu constituendam esse putaverint? Respondeo: dictum est aliquid hanc in rem, Num. 2. Nempe decepti sunt propter denominationem istius vocis *Probus*, & conditionem qualemcunque istius denominationis pro causa formali, sicut numen pro Junone amplexati sunt: sed si subtilius error eorum discutatur; videbimus enim hoc Num. 4. Funditus erui, nempe, non satis distinxerunt. (Videntur itaque his gradibus



vincit; <sup>b</sup> Neglectus autem difficultatum, facilitati similis: & populo videtur is facile superare difficultata, qui difficultata magno animo superat; Sapienti verò etiam hinc, inter Consuetudinem & Amorem, latum discrimen est: Callum habet Consuetudo, non sentit incommoda; Amor tener est, & incommoda sentit ad vivum; sed obterit ea, perrumpit & vincit: Itaque fortè felicius Habilitas; sed Amor longè generosior est.

Argu-

in illum errorem delapsum esse: primo viderunt probos amanter facere, seu ingenti & firmo proposito (nam virtus amor & propositum tale est) secundo propter analogiam & similitudinem (quæ est potissima & forte una causa nostrorum errorum, ut in partem primam Cartesii demonstravimus) confunderunt amorem & facilitatem, ex hac confusione boni visi sunt iis facile agere, & virtus facilitas visa est: denique cum viderunt facilitatem (corporalem illam & sensibilem) plerumque nobis per frequentes actiones acquiri (in quibus duobus jam tota ratio habitus absolvitur) non supererat hac per errorem adductis, nisi ut virtutem in habitu reponerent) *inter facilitatem & amorem*, visumque est iis, quod populo etiam videtur, cum facilitate fieri, quicquid cum Amore fieret, in quo magnopere falsi sunt: ut hoc num. 4. satis demonstratur.

<sup>b</sup> Atque virtus videtur habitus: nam virtus amor est; jam quod ultrò & libenter agimus, videmur ex facili agere.



## Argumentum hujus.

### §. 3. De Habitu.

**V**irtus non debet constitui in habitu :  
Primo quia virtus est ante probas  
actiones, & habitus post illas : secundo vir-  
tus spectat ad mores, habitus ad res natu-  
rales : Hæc num. 1.

Tertio quia virtus potest haberi repen-  
te, habitus non nisi sensim, & per frequen-  
tatos actus. Quarto (quod est argumentum  
ab auctoritate) quia sic censent in Ecclesiis  
suis omnes Christiani : Hæc num. 3.

Objicitur bonos esse etiam, qui dor-  
miunt, in quibus tamen non est proposi-  
tum, in quo nos virtutem constituimus ;  
sed tantum habitus bene agendi : Respon-  
deo in illis esse propositum bene agendi,  
saltem moraliter, quod sufficit ad hanc de-  
nominationem. Objicitur secundo, habi-  
tum illum requiri ad denominationem  
probi. Respondeo, falsum est quod assu-  
mitur, ut patet num. 3. & ut verum esset,  
ad summum inde sequitur, habitum esse  
conditionem istius denominationis, non  
vero causam formalem, Hæc num. 2.

Tar-



Tandem discrimen adfertur inter amorem & habitum, quorum confusio radix fuisse videtur hujus erroris Peripateticorum. Hæc num. 4.

## C A P. II.

## De Virtutibus Cardinalibus.

*Virtutes Cardinales sunt Proprietates Virtutis, quæ proximè & immediatè ab illa dimanant.*

[ *Proximè & immediatè* ] Hinc excluduntur præmia essentialia virtutis: ut sapientia, doctrina, libertas, satietas, & ipsa etiam felicitas: de quibus partim hoc tractatu, partim de præmio virtutis speciali tractatu infra agetur. Præmia enim illa non dimanant proximè ex natura virtutis, sed mediantibus aliis proprietatibus naturæ prioribus: sic sapientia atque doctrina profluunt ex virtute mediante diligentia: Libertas mediante obedientia: Satietas, mediante justitia: Felicitas & sublimitas, mediante humilitate. Virtutes ergo Cardinales non sic mediate & proximè profluere debent ex natura virtutis: sic diligentia proximè sequitur à virtute seu amore rationis (nam si rationem ames, sequitur statim ut eam auscultes, in quo consistit diligentia) non autem sapientia, hæc enim tantum remote sequitur ex natura virtutis: hoc modo si ames rationem, sequitur ut auscultes rationem: & si auscultaveris, percipies quid dicat, in quo tandem consistit sapientia. Similiter obedientia proximè sequitur ex natura virtutis (nam si ames Rationem, proximè



dimanant, & <sup>2</sup> ad nullam externam circumstantiam speciatim referuntur: Tales sunt hæc quatuor Diligentia, Obedientia, Iustitia, Humilitas <sup>3</sup>.

§. I. Di-

xime sequitur, ut facias quod illa jubet, in quo consistit obedientia) libertas autem non ita proxime sequitur, sed remotè tantum: hoc modo, si ames rationem, facies id unum, quod illa jubet: & si hoc unum feceris, semper facies, quod voles, semper quod tibi lubitum erit, in quo tandem consistit libertas: similia dicenda sunt de iustitiâ & satietate, itemque de humilitate & sublimitate seu felicitate vel beatitudine; sed hæc omnia magis patebunt in progressu, ubi de singulis virtutibus Cardinalibus dicendum erit.

<sup>2</sup> Ad nullam externam circumstantiam speciatim referuntur.] Hinc excluduntur virtutes particulares, quæ semper ad externam aliquam circumstantiam referuntur: ut Temperantia, quæ speciatim refertur ad res secundas: fortitudo, quæ speciatim refertur ad res adversas: Pietas & religio, quæ speciatim referuntur ad Deum: Æquitas & civilis iustitia, quæ speciatim referuntur ad alios homines. Hæc patebunt Tract. 2. ubi ex professo de virtutibus particularibus.

<sup>3</sup> Quæ latius deducta videas in præfatione auctoris ad Lectorem.



## §. I. Diligentia.

3 Et Diligentia quidem primò nascitur  
 Ex Virtute seu Amore Rationis <sup>b</sup>;  
 4 quia cum natura Rationis in eo tota sit,  
 ut

3 *Diligentia primo nascitur ex virtute* ] Ratio habet quatuor hæc attributa: Primo dictamen est, secundo lex, tertio regula, quarto onus, quod nobis injunctum est. Virtus ergo, quæ non a iud quam amor rationis est, λόγῳ quidem ut dictantem dictamen amplectitur per auscultationem seu diligentiam; λόγῳ ut legem amplectitur per obedientiam, λόγῳ ut regulam & mensuram actionum nostrarum amplectitur per justitiam; & tandem λόγῳ ut onus & officium nobis injungentem amplectitur per humilitatem. Inter quatuor illa attributa Rationis primum est dictamen, utpote latissimum & generalissimum rationis attributum. Dictamine enim ratio extendit se tam ad res Physicas quam ad morales, tam ad speculativas, quam ad practicas (in his enim omnibus dictaturam exercet Ratio) Regulâ vero lege & opere, proprie tantum ad res Ethicas & genus moris pertinet. Ex quo vides diligentiam primam esse inter virtutes Cardinales, ut quæ rationem secundum se & toto suo ambitu amplectitur, cum reliquæ (obedientia, justitia & humilitas) amplectantur modo rationem secundum aliquid sui, quo scil. ad mores præcise pertinent.

<sup>b</sup> Ratio est modus divinæ inspirationis: hæc ejus essentia: igitur amari nequit, nisi ab eo, qui auscultat & audit inspiratum illud Alloquium.

4 *Quia cum natura rationis in eo tota sit* ] Redditur hic in libello ratio cur diligentia nascatur ex virtute; non



ut dictet, ut præscribat, ut suggerat, <sup>s</sup> liquet eam à nemine adamari rite posse, qui non auscultet, qui non mentis aurem arri-  
gat, & totum animum attendat ad hoc dictamen: Et in ista mentis ad Rationem attentione, auscultatione defixâ & altâ, Diligentiam repono <sup>e</sup>: Quæ proinde est  
men-

non verò cur primo & ante alias nascatur, (quam nos rationem, (nempe primum attributum rationis dictamen est, eo quod laiffime pateat, & rationi ubique sive in speculabilibus) jam statim in annotatis dederimus: sive in practicabilibus versanti adhæreat; cum cætera attributa tantum rationi in practicabilibus versanti adhæreant.) Amplexus ergo, quo virtus λόγον suum amplectitur is primus est quo ipsum ut dictantem amplectitur; ex hoc autem amplexu parit λόγον suo diligentiam, quæ proinde prima ex hoc connubio filia est.

<sup>s</sup> *Liquet eam à nemine adamari rite posse.*] Si quis diceret amare se melodiam & Musicum concentum, cum vero hic scilicet concentus ederetur, aures obtureret sibi, aut fugeret aut interstrepere, per deridiculum hoc dixisse videretur, & minime ex animi sententia locutus fuisse diceretur (concentus enim ille nihil habet, quo capiat aut oblectet, nisi cum ipse auribus nostris capitur) sic qui rationem, quod virtutis est amare se dicit, & tamen cum dictat illa, & suggerit aliquid intus & in animo, non attendit; sed mente divagatur, aut passionibus suis interstrepit dictamini: splendide mentitus fuisse facile convincitur: nam natura rationis non consistit in alio, quam in certo dictamine quod qui aspernatur, hoc ipso rationem aspernatur, atque non amat.

<sup>e</sup> Et in hac auscultatione consistit diligentia: quæ pro-



mentis à rebus extra se positis, in se, in  
adyta sua, jugis quædam & profunda re-  
cessio, ad consulendum quolibet occurren-  
te negotio, sacrum hoc Rationis Oracu-  
lum.

2. Partes Diligentiaë (quod ex defini-  
tione liquet) sunt duæ: Aversio, & Con-  
versio: <sup>6</sup> Aversio, inquam, mentis à rebus  
externis & sensibilibus (harum enim oc-  
cursu mens turbari potest & impediri ab  
auscultando) & Conversio mentis intra se  
ipsam: <sup>7</sup> Ibi enim & non alibi Rationem  
de-

propterea atque necessariò filia virtutis est, sive Amor  
rationis.

*6 Aversio mentis à rebus externis & sensibilibus.* ]  
Item ab internis & insensibilibus: intus a cogitatio-  
nibus Logicis, Physicis, aliisque ad has vel illas seu li-  
berales seu Mechanicas artes pertinentibus: nam con-  
versione ad istas cogitationes mens etiam turbari po-  
test in auscultatione rationis ut legis & regulæ actio-  
num nostrarum: non quod mens viri diligentis sem-  
per se avertat à sensibus suis, similibusque cogitatio-  
nibus, quales jam recensitæ sunt (sæpe enim ex præ-  
scripto rationis & obedientiaë lege tenetur his vacare  
& invigilare) sed quod præcisè quasi & antequam à  
Ratione hauserit, quid mandet illa, totum se vir bonus  
abstrahere à similibus cogitationibus debeat, ut soli  
rationi tum vacet (Rationi inquam jubenti atque ve-  
tanti) eique vacando, clare percipiat, quid ipsa velit.

*7 Ibi enim & non alibi deprehendit rationem loquen-  
tem sibi, docentemque.* ] Clarissime nobis conscii su-  
mus, Rationem intus in nobis, & in mente nostrâ  
esse,



deprehendit loquentem sibi, docentemque. Quantumcumque enim Ratio extrinsecus sapientum voce vel stylo aures nobis oculosque feriat, nunquam tamen nisi intus, & in mentis penetranti percipitur: imo quidquid extrinsecus rationum nobis adfertur, id omne, nisi cum fortè negligimus & aliud agere malimus, <sup>8</sup> ad interiorem illam & vivam in nobis Rationem, examinandum revocamus: applicamusque ad  
lydium

esse, semperque fuisse ibi, nec illius temporis recordari unquam possumus, quo nobis primum advenerit: quod clarissimum est in principiis rationis, quæ communes notiones & ideæ passim vocantur: Etiam si enim illas suscitari nonnunquam à docente in nobis deprehendamus, simul tamen clarissime deprehendimus, illas non inde nobis ab ipso, sed tantum moneri nos ab eo, ut mentem advertamus ad id, quod jam ante in nobis ipsi habebamus, quod adeo clare in nobis experimur, ut inde olim Plato statuerit nullam esse doctrinam, nosque cum doceri nova quædam videmur, tantum veterum reminisci, & ea recollere, quæ ante scivimus: jure an injuria hoc statuerit Plato, non est hic disceptandi locus, hoc saltem patet, omnes homines planissime hoc intelligere, & penitus in seipsis deprehendere, rationem esse aliquid penitissime in mente sua affixum, quod nunquam illis advenerit, sed cum ipsis fuit, quamdiu ipsi cum mente, id est, cum se ipsis fuerunt.

<sup>8</sup> *Ad interiorem illam & vivam in nobis rationem examinandam revocamus.* Unde nihil est magis servile, quam jurare in verba magistri, seu ideo rationem  
ali-



lydium hunc lapidem, ut istâ velut afflictione judicemus, recipiendumne sit, an rejiciendum: Enimvêro nihil est tam magnum, sublime, sanctum, quod non aliquo ratione, Rationis examini subjiciatur: etiamsi enim quædam sint, quæ captum Rationis excedunt, & ejus ponderibus perspiculari non debent; hoc tamen à quo rescivimus? Utique non nisi ab ea, quæ id ipsum in nobis testabatur Ratione; Hactenus ergo etiam isti examini se stiterat.

3. Adminiculum hoc Diligentia erit.  
 9 Si ea sæpe & sæpius apud animum nostrum  
 strum

aliquam assumere, quia alius illam sub auctoritate sua venditat & obtrudit nobis: pigrum est & vecors & manifestè contra indolem diligentia, imo etiam contra indolem humani animi, non penitus adhuc corrupti & deflorati: ita enim naturâ comparati sunt, quotquot aliquatenus ingenui sunt, cum rationem aliorum audiunt, eam ut cum suâ ratione, quam intus in mente habent, comparant: approbaturi externas illas rationes aliorum, si cum interna suâ ratione congruat; sin minus, rejecturi.

4 Diligentia in eo est tota, ut rationem probè noverit: hæc ejus essentia, & ut voti compos evadat, adminiculum habet illud, videt & apertis oculis intuetur rationem, ubi illa patet.

9 Si ea sæpe & sæpius apud animum nostrum revolverimus, repetamus, ruminemus.] Nulla tam compendiosa ad doctrinam & rerum cognitionem ratio, quam sæpe & sæpius ea repetere, quæ bene scimus: nam repetere



Rum revolvamur, repetamus, ruminemus, in quibus aliquando clarè & liquidò Veritas ac Ratio nobis affulserunt: Perpetuâ enim & familiari illâ consuetudine complexuque Rationis, tandem etiam ibi assequemur illam, ubi vel maximè fugere intelligentiæ nostræ vim ac notionem videtur: Quemadmodum enim convictores & domestici tui, qui te quotidie multum utuntur, etiam in crepera luce versantem, aut indutum habitu peregrino, facilè & ad primum subinde intuitum agnoscunt; vicini non tam promptè, & ægriùs longe aut nullo modo, qui te rarò conveniunt: Sic qui alicubi tantum consuescit cum Ratione (quod perfacile, ubi illa satis aperta clara-

tio eorum, quæ scimus, semper est gradus ad notitiam eorum, quæ nescimus: ut vel experientiâ quotidianâ constat, eorum omnium, quos non tædet hanc repetendi cramben recoquere: sentient enim se quotiescunque repetunt, quæ jam olim bene sciverunt, semper novî quid addiscere, quod miro modo & quasi divinitus illis illabatur, ita ut decima repetitio pandat & aperiat aliquid, quod nona non detexerat, imo centesima prodet aliquid, quod omnibus prioribus delituerat. Itaque fiunt hi tandem supra omnes æquales suos, imo supra reliquos homines longe doctissimè atque profundissime sapientes & præclarum est hoc Diligentia effatum: *Non multa discere, sed multum*; nam si multum didiceris, multa scies; si multa autem didiceris, omnia confundes & nihil scies.



claraque ) postea etiam <sup>1o</sup> deprehendit & reteggit, eam, ubi se quam cautissimè celare, & toto Democriti puteo subsidisse videbatur; Qui vero Rationem in propatulo versantem, <sup>11</sup> vilem putat & contemnit, nunquam illâ fruetur, ubi recondita est & cara: sicut enim aperta Ratio, vilis est hominibus, quia facile datur ejus copia, sic reconditæ abstrusæque Rationi viles sunt ho-

<sup>1o</sup> *Deprehendit & reteggit eam.* ] Non aliud habet veramentum, quo nobis se celat ratio, quam præjudicia & cupiditates nostras, ipsa de se nuda claraque est: qui ergo illam, ubi à præjudiciis & cupiditatibus nostris non nihil solutior est frequentare solet, facile illam etiam agnoscit, ubi velo isto nostrorum præjudiciorum & cupiditatum involvi, quam maxime videbatur. Novit enim ipsam & novit velum ejus: itaque velum facile aufert, & irretortis nec impeditis oculis intuetur ipsam, in quo obtutu vera consistit sapientia.

<sup>11</sup> *Vilem putat & contemnit.* ] Notatu dignum est eas disciplinas, quæ maximæ cultrices fuerunt Veritatum, & rationum istarum manifestissimarum & usque adeo manifestissimarum, ut risui sint populo & fatuæ vocentur (quales sunt Geometria & Arithmetica: quæ communes suas notiones, postulata ac definitiones, longe omnino clarissima semper in fronte præferunt, & discipulis suis jugiter inculcant) purissimas jam à tot sæculis & illibatas permanisse, nec tantum ab erroribus, sed vere etiam à conjecturis, opinionibus & suspicionibus liberatas perstitisse; ubi cætera disciplinae, quæ hic minus accuratæ fuerunt, in infinitos erre-



homines: Ratio autem ubi cara est, eum sibi potissimum despondet, cui non displicuit, cum vilis esset. Hinc rudi adolescentiæ, quam ad veram sinceramque Virtutem informare constituimus, consulerè melius non possumus, quam si eam per id ætatis, quo passim <sup>13</sup> ad Ethicam minus

errores, & adhuc plures, si fieri posset opiniones, conjecturas nugæ & somnia præcipitarant; Quod observandum præsertim in Logicâ & Metaphysica, quæ undique scætant parengis, cum tamen naturâ suâ veræ liquidæque scientiæ sint, non minus quam Mathematicæ istæ.

12 *Ratio autem ubi cara est, eum sibi potissimum despondet, cui non displicuit, cum vilis esset.* Mythologia hujus fabulæ (qua ratio velut Amalia quædam, nos vero velut proci consideramus) perfacilis est, fieri enim non potest ut rationem in doctrinis atque scientiis reconditam & abstrusam capiat is, qui non ante per prima ejus rudimenta gradum fecerit: atque hinc illa lacrymæ; hinc illa tanta sero operam & oleum perdidisse se & videntium & deplorantium multitudo: quod ad altiores scientias animum applicaverint, antequam inferiores cœperint, & quod volare voluerint (ut habet paræmia nostra Belgica) antequam alas haberent. Fingitur ergo merito ratio velut generosa aliqua puella, quæ nuptias in thalamo sapientiæ cum eo respuat, à quo videt se in rudimentis suis contemptam esse.

13 *Ad Ethicam minus apta.* Tritum est hoc Aristotelis: *Adolescentem esse inidoneum auditorem Ethicæ*; quia nempe, ut inquit ille, passionibus suis deditus est & servit: adeoque veritates Ethicæ, quæ non tantum præ-



minus apta censetur, e iis primum disciplinis addicamus, in quibus nihil nisi Ratio & Demonstratio valent: <sup>14</sup> quales sunt Geo-

præjudiciis, sed vel maxime cupiditatibus nostris laborant (ut cap. 1. §. 3. num. 3. annotavimus) admodum oblectæ sunt & abstruæ adolescentibus (quod de iis potissimum adolescentibus intelligendum est, qui animo magis, quam ætate adolescentes sunt; inveniuntur enim & octogenarii pueri, ut inquit ille) Paulatim vero cum ætate solet se humanus animus à corpore sensibusque suis abstrahere, & vindicare se quasi in libertatem, quæ nusquam esse potest, nisi in regno rationis: ut patebit §. seq. ubi de Fructu Obedientiæ.

e Propter lasciviam suam, inconstantiam, petulantiam, & intemperantiam.

14 *Quales sunt Geometria & Arithmetica.*] Annotavimus ad N. 2. Diligentiam avertere se non tantum à rebus sensibilibus, sed etiam Geometricis & Arithmetis & cæteris: proinde forte non constare nobis videamur, qui hic studium istarum scientiarum inter potissima diligentia adminicula reponamus; sed nulla contradictio est: diligentia enim cum jam vacet muneris suo, & dictamini rationis, quo quid faciendum sit præscribitur, altissime auscultat, merito seponit à se omnes alias cogitationes; sed prævia quasi & antequam muneris isti accingatur, merito vacat Geometricis & Arithmetis cogitationibus, utpote in quibus eadem ratio elucescat clarissime, quam in rebus Ethicis comprehendere conatur, ubi longe obscurior esse consuevit, præsertim ob nostras cupiditates: sunt etiam hæ Mathematicæ scientiæ & à cupiditatibus omnibus liberæ (nam cupiditates in speculationibus non habent locum) & hanc præcipue speculativæ scientiæ prærogativam habent, quod sensuum nostrorum præjudi-



Geometria & Arithmetica f, & quædam  
aliæ. Sed quid de his generatim censeam,  
in Saturnalibus meis pag. 168. & seqq. vi-  
deas licet.

D 4. Fru-

judiciis vel nihil, vel certe minimum infestæ sint,  
quod de Metaphysicâ, Physicâ atque Logica non per-  
inde dici potest: in has enim præjudicia nostra enor-  
miter grassantur: & ferè quotquot theoremata in his  
scientiis constituta sunt, aut sensum interstrepentem,  
aut etiam adversantem & respuentem habent; quorum  
illud in Logicâ hæc in Physicâ & Metaphysicâ vide-  
mus. Sunt igitur Mathematicæ disciplinæ adolescen-  
tibus longe utilissimæ, quibus manu ducantur ad ra-  
tionem.

f Adhæc Logica, sive ars dicta loquendi; &  
maximè Metaphysica, sive prima scientia. Duæ prio-  
res sunt utcumque puræ; sed posteriores ante omnia  
debent reformari, & à scoriis suis & omni alienâ col-  
lurie expurgari. Nam quatuor illæ scientiæ natura sua  
sunt purissimæ. Ut igitur hodie Logica & Metaphysi-  
ca per scholas vagantur, ferè nihil aliud sunt, præter  
superflua, & redundantia; verus ille numerus deficit,  
eum expunxerunt, soli redundantes remansere. Sed  
quoniam natura sua, ut dictum, purissimæ sunt, in  
scientiis illis id omne superfluum est, quod effugit  
*ἀνεξέλεστος* demonstrationum Mathematicarum, quæ  
occurrunt apud Geometras & Aritmeticos. Ad hanc  
normam omnia debent expendi, antequam juventuti  
propinantur, antequam proba sint & legitima. Adole-  
scentes ergo discant primùm Geometriam: Deinde  
Aritmeticam; tum Logicam, tandem Metaphysi-  
cam. Fateor alio ordine foret incedendum, si incede-  
rent legitimo ordine: & oporteret initium ducere à  
Metaphysica, quæ est prima scientia, tum Logicam,  
&c.



4. <sup>15</sup> Fructus Diligentiae est Sapientia: & nam Sapientia non est aliud, quam recta perceptio ejus, quod recta Ratio dixerat; <sup>16</sup> hæc autem sine dubio naturaliter

pro-

ducitur. Sed quia juvenus nostra tam altè immersa est corpori, nihil conducibilius est eo ordine quem antea posuimus, qui pedetentim & sine sensibus eam abstrahit, & adducit ad rationem; jam recta incedit, quando calcitrat semitam rationis, & retrogrado gradu, ut solent Cancræ. Tandem accedit ad diligentiam: & jam ei non videbitur absurda obedientia, & jugum rationis cui in aliis scientiis ratio fuit adeo familiaris & consueta.

<sup>15</sup> *Fructus diligentiae est sapientia.* Sapientia sapienter dicitur, eo quod isto sensu (gustu) intime rem aliquam examinemus; nam aspectus cæterique sensus tantum hærent in cortice, & superficiem modo rerum, circa quas versantur, arripiunt; gustatus vero interiora corporis, quod ei subjicitur interius pervadit & penetrat ex quo etiam fit ut hic sensus. V. G. spiritum vini quem tactus frigidum esse dixerat, gustatu calidum esseprehendimus: & inaurata Medicorum carapotentia, quæ visus placida esse dixerat, gustatu horrida & amara perhibentur similiter sapientia, quæ ex profundâ rationis auscultatione nascitur, rem objectam pervadit & penetrat, & sæpe longe aliud de illâ judicat quam aut communis hominum sensus, aut scholarum receptus intellectus ferat.

¶ Siquidem diligentia semper rationem captat, & tandem eam capit, hoc est ejus dictamen percipit. Nam aut sapientia est capere rationem, sive perceptio ejus dictaminis.

<sup>16</sup> *Hæc autem sine dubio naturaliter provenit ex sensu rationis auscultatione.* Diligentia est perpetua captatio

capta-



provenit ex studiosa Rationis auscultatione: Quomodo enim scies quod Ratio dicit, si non auscultas cum dicit? si vero auscultas, jam diligens es: & facile etiam percipies quod dicit, & sic sapiens eris. Sapientia in rebus Ethicis seu Moralibus mutat nomen suum,<sup>17</sup> vocaturque *Prudentia*; nam sapere in iis quæ ad Virtutem faciunt, hoc vero est prudentem esse; Sapientia autem in rebus Physicis seu Naturalibus, simpliciter nomen suum retinet, & *Sapientia* tantum vocatur; posset tamen majoris

D 2 di-

captatio rationis; sapientia captio: diligens captat; sapiens cap't rationem. Ast vero captando tandem etiam capimus, id est diligentia tandem assequitur sapientiam. Sed inquires, captio captantem aliquando fallit: & inquam (fatendum est enim) diligentia aliquando frustratur sapientiâ; sed ad tempus tantum: igitur eo casu constantiam accersat sibi: solet enim esse certior possessio sapientiæ illius, quæ diligentiam aliquam diu delusit: & tenacissime sua sciunt, quæ multum laborant & non nisi multo labore sua sciunt. Adde quod & jucundum est, nam jucundi sunt acti labores, præsertim cum fructu.

<sup>17</sup> *Vocaturque prudentia* ] Prudentiam in eo distinguunt scholæ ab Ethicâ, quod Ethica quidem (quod omnibus scientiis commune est) abstracta à particularibus, magis universalis & generalis contempletur; prudentia vero proprie pertineat ad particulares circumstantias morum & actionum humanarum. Quantum ad præsens, prudentiam hic tam latè sumplimus, ut etiam doctrinam Ethicam complectatur.



distinctionis ergo, vocari *Sapientia speculativa.* h

6. Sed ingerit se difficultas aliqua  
 18 *Philarethe*: 19 ex qua Diligentia proveniat

h Sicut prudentia est sapientia practica. Utraque descendit à virtute: & hæc est genealogia: virtus parit diligentiam; diligentia prudentiam; hæc urget & injungit, esse auscultandum quoque rationi, quæ in rebus Physicis versatur: tum virtus iterum imprægnatur, paritque obedientiam: hæc obedientia est diligentia investigandi res naturales & Physicas, atque adeo mater sapientiæ speculativæ.

18 *Philarethe.*] Philarethus in hoc tractatu est persona ficta, amans quidem virtutem (ut nomen ejus sonat) sed cum zelo indiscreto, seu minus secundum prudentiam comparato: similis nempe tyronibus Ethices, quamdiu adolescentes sunt, & ad res Ethicas, ut Aristoteles bene ait minus idonei: hic genium suum maxime exerit, Obl. 6. Num. 2. qui proinde corrigendus est, subinde instraendusque & castigatione etiam aliquâ reducendus ad veram virtutis normam, à quâ imprudenti zelo subinde aberrat longius. Castigationem illam ejus vide pag. 165. & paulo ante.

19 *Ex qua diligentia proveniat illa sapientia speculativa.*] Respondeo: Provenit proxime ex diligentia obedientiali, nempe diligentia, quâ auscultamus rationem in rebus Physicis versantem, eo quod ratio in rebus Ethicis præcipiat ut se ibi etiam auscultemus; remotè vero provenit ex diligentia purâ, quæ ante obedientiam nascitur ex amore rationis seu virtute. Primò enim rationem amamus (hoc ad virtutem pertinet) deinde movemur ad auscultandum quid velit (hoc ad diligentiam pertinet) tertio percipimus quid velit (hoc ad sapientiam pertinet) & quidem inter cætera, quæ vult, percipimus nonnunquam, etiam hoc  
 illam



veniat illa *Sapientia speculativa*? Nondum tamen hic caput difficultatis est: facile enim respondebis, *Sapientiam speculativam* provenire ex Diligentia seu auscultatione ad Rationem, quatenus Ratio etiam in rebus naturalibus; versatur; Sed unde hæc Diligentia? & à quo Amore Rationis? Hic caput difficultatis est: Non enim apparet Diligentiam illam esse ab Amore obedientiæ erga Rationem: nam hic Amor in illis quæ meræ speculationi subjecta sunt, <sup>k</sup> quales res Physicæ, <sup>l</sup> non habet locum: Non etiam ab Amore affectionis erga Rationem: <sup>2o</sup> quia quod ex illo Amore est,

D 3 Pec-

illam velle, uti se non tantum in rebus Ethicis versantem, & jubendo vel prohibendo occupatam; sed se etiam in rebus Physicis versantem & exhibendo occupatam auscultemus: proinde auscultamus sicut iusserat ratio: estque hæc auscultatio obedientialis quædam diligentia, participans nempe simul naturam diligentiam (hoc ipso quo auscultat rationem) & naturam obedientiam (hoc ipso quo jussum rationis exequitur) est igitur hæc obedientialis Diligentia, alterâ illâ, quam puram vocavimus, Diligentiam posterior, atque hæc est, quæ sapientiam Physicam parit.

<sup>i</sup> Quanquam illæ non pendent à nostro arbitrio, nostraque providentia.

<sup>k</sup> Et ubi nobis nihil est agendum.

<sup>l</sup> Sol, sydera, aqua, aër, &c.

<sup>2o</sup> *Quod ex illo amore est, peccatum est.* ] Quicquid ex passione est, peccatum est: oportet enim nos non passione, sed ratione adductos agere, quicquid ex proposito



Peccatum est, & ad intemperantiam pertinet, ut alibi ostendemus: Quorsum autem *Sapientiam speculativam* Peccato supponere?

posito agimus: distinguendum autem est inter *agere cum passione*, & *agere ex passione*: nam *agere cum passione* est habere comitantem opus suum passionem aliquam, quæ operi causam non dederit; hoc vero non est in vitio ponendum: quinimo quamdiu homines sumus, nulla nostra actio est, quæ non aliquâ passione comitata se prodeat: & quò corpore saniores vegetioresque sumus, eò solent actiones nostræ vivacioribus passionibus aspergi & quasi tingi atque infici. *Agere vero ex passione* est ita agere, ut passio causam det actioni; hoc vero semper & necessario in vitio est (ut jam ante Cap. I. §. 1. etiam annotavimus & probavimus, magisque adhuc probabitur tract. 4.) E. G. pater castigat filium cum irâ, quando ratione solâ permotus castigat, ira tamen quædam hanc actionem comitatur, sed ob hanc ipse nihil inter castigandum facit aut omittit: hic igitur probus pater est, etiamsi enim cum ira castiget, non tamen castigat ex irâ: sed pater verberat filium, quia filio iratus est pater, sic nempe ut ira in causa sit cur verberet: hic malus homo est, licet forte justissima etiam adsit verberandi ratio, imò & tantum & omni modo, quo eum verberat, verberandi: licet enim eo casu apud homines facile se excuset ut qui internam animi affectionem non assequuntur, revera tamen peccat, ut qui non ex ratione (quæ justa quidem subest) sed ex passione agat. Cum igitur amor passio aliquid nos jubet facere, non possumus ejus jussa exequendo non peccare; cum vero se actionibus nostris interponit, nihil mali est: comitari illas potest, sed non prævertere.



nere? <sup>21</sup> cuius germana soror (Prudentia)  
vera est Virtutis soboles,

— *magnum Jovis incrementum:*

Sed nec ab aliquo alio Amore effectio-  
nis erga Rationem (puta benevolentia vel  
concupiscentia) progigni potest illa Dili-  
gentia, quæ in Theoreticis versatur: quia  
(quod *cap. 1. §. 1. num. 6. & 7.* vidimus)  
hi Amores in Rationem non quadrant. His  
ita perpensis, dico Diligentiam illam, quæ  
*Sapientiam speculativam* parit, naturaliter  
oriri ex Virtute seu ex Amore obedientia  
erga Rationem. Ideo enim probi <sup>22</sup> (qui  
soli sapiunt) Rationem in rebus Physicis

D 4 au-

<sup>21</sup> *Cujus germana soror (Prudentia) vera est virtu-  
tis soboles* ] Non tam proprie sorores sunt sapientia  
speculativa & Prudentia, sed potius consobrinae, seu  
duarum sororum filia: nam prudentia nascitur ex di-  
ligentiâ purâ. (seu ex diligentia in rebus moralibus  
versante) Sapientia autem speculativa seu Theoretica  
nascitur ex diligentia obedientiali: quæ cum non  
aliud quam obedientia quædam sit, patet prudentiam  
& sapientiam speculativam duarum sororum filias  
esse, hanc quidem obedientia, illam vero diligentia:  
nam has sorores esse patebit §. seq.

<sup>22</sup> *Qui soli sapiunt.* ] Nimirum illi soli passionibus  
suis non turbantur inter auscultandum rationi; cæte-  
ris, ne rite & ut decet auscultent, impedimento sunt  
passiones, quibus obsequi consueverunt, quæque ob-  
lequio crescunt, ut flamma oleo. (ut latius Tract. 4.)  
Hi ergo cum non bene auscultent, non bene etiam ra-  
tionem



auscultant, ut melius eam agnoscant (quod etiam ex dictis jam statim *num. 3.* colligi potest) meliusque & promptius dictamen ejus exequantur in rebus Ethicis; Alio aliquo Amore (qui nempe ipsa speculationis inescetur dulcedine) ad speculandum adduci, vanitatis & intemperantiæ genus est<sup>23</sup> & haud umquam solidam illam ac genuinam Sapientiam pariet; sed ad summum spuriam aliquam & inanem, opinionibus, suspicionibus, deliriis, somniis, erroribus & futilibus argutiis scatentem. Sed ista clarius patebunt, cum de præmio Virtutis agemus. Quamvis igitur Ratio in Theo-

tionem capiunt (in quo tamen solo sapientia consistit) illi vero auscultant ut decet, adeoque capiunt rationem ut decet; soli proinde capiunt non tantum in rebus moralibus, sed aliis etiam quibuscunque, quas contemplandas sibi constituerunt, melius hæc intelligentur, ubi de præmio virtutis agetur.

<sup>23</sup> *Et haud umquam solidam illam ac genuinam sapientiam pariet* ] Tota ratio sapientiæ ut jam sæpe inculcatum est, consistit in perceptione rationis: oportet ergo captare rationem, seu auscultare, in quo consistit natura diligentia. Quod si quis rationem capret passione aliqua adductus, is hoc ipso deficit à Ratione (quandoquidem hoc nihil aliud sit, quam peccare, seu rationem deserere) frustra igitur captat id, à quo inter captandum continuo recedit: qui sic captat, nunquam capit: qui passione adductus rationem quærit, nunquam illam invenit, nam per passionem semper à ratione abducitur.



Theoreticis, non possit à nobis amari amore tali, qui nos instiget ad ei ibi obediendum; potest tamen ibi amari eo amore, qui instiget ad ei obediendum alibi, nempe in Practicis & Moralibus; <sup>24</sup> Eadem autem est Ratio, quæ & res Physicas <sup>m</sup> nobis exhibet, & Ethicas injungit.

D 5

Argu-

<sup>24</sup> Eadem autem est ratio, quæ & res Physicas vobis exhibet, & Ethicas injungit.] Eadem quoad modum dictaminis: nam & in Physicis seu Theoreticis, & in moralibus seu Ethicis ex æquo dictat & suggerit ratio; non tamen eadem omnimodè: nam insuper ratio in rebus Ethicis lex est (non dictat simpliciter, sed dictat aliquid faciendum, aliquid omittendum esse, & onus, obligationem ac officium nobis injungit) quomodo ad res Physicas non pertinet.

<sup>m</sup> Quæ sunt illæ res, quæ nullum nobis officium injungunt, non à nobis agenda, sed videnda; Ethicæ autem res sunt agenda nobis & spectant non contemplationem, sed actionem, sed officium.



## Argumentum hujus.

## §. I. De Diligentia.

**D**iligentia est auscultatio Rationis.  
Hæc Num. 1.

Partes ejus sunt duæ. Aversio à rebus externis (hæ enim impediunt auscultationem) & conversio intra se (ibi enim ratio, quæ auscultanda est, habitat) sic solemus naturaliter procedere, & omnia, quæ extrinsecus nobis perhibentur, intra revocare ad examen Rationis nostræ solemus.  
Hæc Num. 2.

Adminiculum diligentia est familiaritas cum ratione: initur ista familiaritas duobus potissimum modis; primo frequenti repetitione eorum, quæ scimus, & in quibus manifesta est ratio: secundo, cultu disciplinarum earum, quæ ratione ac demonstratione maxime gaudent, quales sunt Mathematicæ. Hæc Num. 3.

Fructus diligentia est prudentia: nam diligentes auscultando captant rationem. prudentes vero, quod diu captavere, tandem capiunt: nam naturale est, & ita omnino natum est fieri, ut qui captaverit, sæpe tandem etiam capiat. Hæc Num. 4.

Sa-



Sapientia autem speculativa, quæ magnam cum prudentiâ habet affinitatem, nascitur demum perfecte post prudentiam: Prudentia enim videt rationem jubere se audiri in rebus Physicis, cui jussui eum obtemperatur, parit ea obtemperatio seu obedientia sapientiam Theoreticam seu speculativam. Hæc Num. 5.

### §. 2. Obedientia.

**A**ltera proprietas Virtutis, Obedientia: Cum enim Amor Rationis ad Diligentiam te adduxerit; Diligentia, Rationis auditorem te fecerit: eamque audiendo didiceris, quid ipsa præcipiat (quod Sapientiæ & Prudentiæ est) reliquum est, ut eodem Amore Rationis instigante, quid quid Ratio præceperit, exequâre (quod Obedientiæ munus est) Siquidem repugnat amare te Rationem, intelligere etiam quid ipsa velit; id tamen, cum res postulat, effectum non dare. Etiam si autem Obedientia nascatur ex Virtute, post Diligentiam, imo etiam post Prudentiam; tamen proximè nascitur ex Virtute; (Virtute

<sup>a</sup> Ratio in rebus moralibus lex est: lex amari nequit, nisi ei obediamus.

1. Tamen proximè nascitur ex Virtute.] Nec enim ideo



tute enim seu Amore Rationis agitur ad  
 exequendum, quod Ratio præcipit,  
 quisquis rite obediens est) Secus atque  
 contingit in Prudentia: quæ ex Virtute  
 quidem nascitur; sed remotè, nempe me-  
 diante Diligentia: Ita ut Diligentia & O-  
 bedientia filiae sint Virtutis, hæc natu  
 minor, illa major; Sapientia vero atque Pru-  
 dentia sunt neptes Virtutis: quia ex Dili-  
 gentia nascuntur proximè; non autem  
 proximè ex Virtute.

2. Partes Obedientia sunt duæ: Face-  
 re, & Omittere: omittere, quod verat  
 Ratio, facere quod jubet. In Physicis u-

ideo vir bonus exequitur, quod dicat ratio, quia aut  
 auscultavit rationem (quo casu obedientia ex diligen-  
 tia nasceretur, & non proximè ex ipsa Virtute, seu  
 amore rationis) aut percepit quid illa dicit (quo casu  
 obedientia proximè nasceretur ex prudentia) sed quia  
 amat rationem; nempe id unum est quod movet  
 ipsum ad faciendum, quod jubet ratio, quod ratio-  
 nem amet. Obedientia igitur supponit quidem dili-  
 gentiam & prudentiam (scire enim oportet quid ju-  
 beat ratio, antequam fiat quod jubet ratio, sciri ve-  
 ro hoc non potest, nisi auscultetur ratio) sed tamen  
 ex his non nascitur: hæ non movent ad obediendum:  
 Et sunt quidem conditiones obediendi, sed non cau-  
 sæ; nam sola causa obediendi est amor: ideo enim  
 obeditur rationi, quia amatur ratio: solus ergo amor  
 rationis, id est virtus obedientiam procreat: sed si-  
 militudine res forte fiet clarior: ut incalescas, abeun-  
 dum est hinc & accedendum ad ignem, hæ sunt con-  
 ditio-



num atque simplex insigne Rationis est, Exhibere; <sup>2</sup> in Moralibus geminum, *Præcipere*

ditiones ut incalescas; neutrum causa est; sed causa caloris erit ignis, ad quem accedis, sic & *auscultare* & *percipere* quid jubet ratio conditiones sunt obediendi, causa vero hujus caloris, hujus obedientiæ, est ille ignis, ille amor rationis, qui instigat ad obediendum.

*Sic & auscultare & percipere.* Si auscultasses quidem quid ratio dicat, & percipisses etiam, quod ratio dicit, nisi tamen amares rationem, non faceres quod dicit ratio: unde amor solus est, qui te instigat ad obediendum, cum ritè obediens es.

<sup>2</sup> *In moralibus geminum.*] Proprius locus & velut domus atque familia rationis est Ethica: in qua nullis prerogativis ratio se prodit, nam in rebus physicis Ratio tantum exhibet seu dicitur; in Ethicis vero seu moralibus & item dicitur ratio (quod ad diligentiam pertinet) insuper vero etiam præcipit atque vetat (quod ad obedientiam spectat) & regulat (quod justitiam concernit) & onerat atque obligat (quod humilitas curat). Ex quibus vides rationem tantum obiter in rebus Physicis versari, & velut peregrinari, cum in rebus Ethicis deditâ operâ versetur & totam se quasi effundat: ut proinde hæc domus ejus merito dici possit; quamvis enim etiam in practicis disciplinis, quæ extra genus morum versantur (velut in Logica, in Pictura, cæterisque liberalibus vel mechanicis artibus) ratio quodammodo etiam jubeat atque vetet, regulet & oneret. (V. G. præcipit syllogismum sic esse faciendum, vetat illum aliter fieri: Et per consequens regulas tradit & onus injungit disputanti vel argumentanti) non absolute tamen vetat aut præcipit; sed fere sub conditione, nempe si hoc vel illud (puta syllogismum) conficere in animo habes; in rebus autem moralibus absolute præcipit ratio aut vetat, nullâ interpositâ conditione.



*ciperè & Vetare* : <sup>b</sup> Obedientia in rebus  
 Physicis, nulla propriè : quamvis enim  
 quod exhibet ibi Ratio, cernamus; id ta-  
 men cernere non est Obedientiæ; Aut si  
 ideo cernis & notas, quæ Ratio ibi exhi-  
 bet, quia Ratio jubet ea cernere & nota-  
 re, hoc jam non ad Physicam pertinet,  
 sed ad Mores: solum igitur in rebus Mo-  
 ralibus locum habet Obedientia: Quæ  
 proinde vetanti Rationi omissionem ac-  
 commo-

<sup>b</sup> Ratio exit in mores: vestigia sunt præceptum &  
*interdictum*: obedientia sequitur patrem, quocun-  
 que incedat, & vestigia sua facere & omittere accom-  
 modat paternis; facere ad præceptum, omittere ad  
 interdicti modulum accurat.

3 *Hoc jam non ad Physicam pertinet, sed ad mores.*  
 Nempè illud. Quia reddit hoc negotium Ethicum  
 & morale: videre enim, quod dicitur ratio, si ibi ste-  
 tur non est morale, non pertinet ad obedientiam;  
 sed videre hoc quia ratio jubet, aut quia passio impel-  
 let, seu videri aut quia decet aut quia lubet, hoc jam  
 morale est: Et siquidem quia decet (seu quia ratio  
 jubet) hoc probum est, & ad obedientiam pertinet,  
 si quia lubet (seu quia passio jubet) hoc jam malum  
 est & ad sui ipsius servitutem pertinet. Et quidem  
 quotiescunque videmus in Physicis, & notamus  
 quid ratio dicitur, totiens id vel quia decet facimus;  
 sed hæc lascivia *quia decet* vel *quia lubet* ad Physicam  
 non pertinet (cujus totum negotium absolvitur in *77<sup>o</sup>*  
 videre quid exhibet ratio) hoc autem quia lubet aut  
 decet, physicam egreditur & in Ethicam se insinuat;  
 unde bene dictum est in rebus physicis obedientiam  
 nullam esse, nullam servitutem, nam hæc soli Ethicæ  
 debentur.



commodat ; mandanti actionem c : 4 Et quidem quod jubet Ratio , præstandum est aliquando ; quod vetat , faciendum est nun-

c Est inter hypocritas callidum aliquod & quam maximè versutum genus , quod gressum rationis & indolem ejus subtiliter novit imitari ; hi homines id moluntur , ut virginem nostram , *Obedientiam* , dulcem illam gratiam , seducant ad hypocrisin : sed adversus hos male feriatos tenebriones , probè armata est : nam quamvis cæca est (ut in fine libri patebit) præstat tamen audi-u , & propterea suspectat omnes gressus , qui juxta hominum placitum strident & non nihil crepant ; probè gnara paternos incessus admodum esse placidos ac divinos.

4 Et quidem quod jubet ratio , præstandum est aliquando ; quod vetat faciendum est nunquam. Unde distinctio nascitur in scholis decantata inter præceptum positivum & negativum : positivum obligat pro nunc aut tunc (ut loquuntur , negativum obligat pro semper : ut *honora patrem* positivum præceptum est , ideoque non obligat pro semper (non semper enim honorandus est , sed tunc cum res tulerit , ut honorandus esse videatur) *Non occides* negativum præceptum est , & semper ei vacandum est , id est , neque nunc neque tunc &c. occides unquam : unde negativa præcepta habent sensum copulativum per neque (ac si dicas , neque tunc facies , neque tunc & sic de reliquis instantibus temporis) positiva autem præcepta habent sensum disjunctivum per vel (ac si dicas , vel tunc facies , vel tunc &c.) Ostendunt interim præcepta positiva semper etiam adjunctum habere præceptum negativum : ut *honora* adjunctum habet *non lade , non injuriã affice* , quæ pro semper obligant : etiamsi enim parentes non semper honorandi sint , nunquam tamen lædendi aut violandi sunt.



numquam: v. g. jubet Ratio comedere, bibere, corpus reficere; hoc igitur aliquando faciendum, scilicet ubi, quando & quomodo faciendum Ratio præcipit; Sed vetat Ratio se ipsum interimere; id ergo nunquam faciendum est.

3. Adminiculum Obedientiæ hoc erit: si animum paulatim abducamus ab agendis iis, quæ merè hominum institutis, moribus & consuetudine contineri, certo scimus: aut potius quam studiosissimè caveamus, ne quid umquam horum faciamus (⁶ facienda enim sunt aliquando ex præscripto Rationis) quia moris sit, aut consuetudine receptum, aut consensu hominum

5 *Adminiculum Obedientiæ hoc erit*] Optima via ad veram obedientiam est, discedere à fucata illâ & larvatâ, quæ hominibus servit obedientiâ; similis est enim exteriori apparatus & fronte veræ obedientiæ & seducit multos istâ suâ similitudine: imo tam similis est, ut multi (inter quos subtiles etiam aliqui philosophi, & malorum illorum politicorum vulgus omne) nullam aliam agnoscant obedientiam, præter eam, quæ principibus & magistratui servit.

6 *Facienda enim sunt aliquando ex præscripto rationis.*] Lex humanâ (idem est de more & consuetudine, nam hæc vim legis habent) nunquam potest nos per se obligare, faciendum tamen aliquando est, quod homines jubent, non quia ipsi jubent, sed subinde, quia Deus jussit, ut iis in certo casu morem geramus (sic sæpe faciendum est, quod parentes & magistratus



minum ac auctoritate firmatum; 7 sed so-  
lum quia Deus jubet & Ratio postulat:  
Alioqui enim Rationis dictamina facile ob-  
scuran-

tus jubent) subinde quia aliter legi Divinæ seu rationi parere non possumus, nisi fecerimus, quod homo quispiam jusserit: sic aliquando faciendum etiam, quod latrones jusserunt: V. G. si in sylvis ab iis deprehensus fueris, nummos, vestes, gladium iis tradere, imo si facta etiam aliqua modo, ne directè sint contra legem Dei (puta excrementum pecoris (honorem præsumur) vel etiam hominis devorare) faciendum, erit, non ex latronis jussu, sed quia aliter hic servari non potest lex Divina de retinendâ vitâ, de qua infra Oblig. 2. pag. 92. Ex quibus patet, bonos multa sæpe facere, quod mali jusserunt; nunquam tamen faciunt, quia illi jubent, sed quia posito illorum jussu resultat casus obligationis divinæ.

7 Sed solum quia Deus jubet & ratio postulat.] Solus enim Deus seu ratio potest esse finis-cui obedientiæ (scilicet inquam ultimus, nam solus hic proprie finis est) Nunquam hominem aliquem isto honore dignari licet: potest interim homo aliquis esse finis subordinatus, & ita fit cum parentibus & magistratui civili rite atque ex ratione imperanti paretur: eo enim casu quidem finis-cui-obedienciæ sunt: iis enim ipsis obeditur, Deo jubente ut iis pareamus; maxime tamen obeditur Deo, utpote qui sit finis-ultimus-obedienciæ: nam his hominibus obedimus, quia Deo hoc jubenti obediendum est, sæpe autem exsequimur, quod alius quispiam jusserit, Sic ut ei nullo modo pareamus. (Parent boni Deo quidem absolute soli; sed etiam hominibus quibusdam, & quidem modo aliquo accedente ad absolutam & perfectam obedientiam, cum homines illi Deo subordinantur, ita scilicet ut his pareamus, quia Deus jussit.)



feurantur , opacantur <sup>s</sup> & confunduntur  
cum

justit ut pareremus ( in quo ordine sunt parentes , quibus , ut ipsum nomen indicat , parendum est , sub quibus etiam magistratus boni & rectores veniunt ) his enim dicimur directe obedire : sunt enim quasi in illâ lineâ rectâ , quâ voluntas vici boni tendit in Deum tanquam finem cui-ultimo-obedientia suæ , etiamsi non consistant ultimo loco in istâ lineâ , ideoque nec proprie voluntas in eos feratur , sicut Leydâ Hagam tendens non proprie ad domum *ten Deelen* / nec proprie ad sylvam , sed Hagam tendit , hæc tantum in cursu & itinere suo transmittit. Est igitur tertius modus parendi indirecte , qui omnium imperfectissimus est , cum scilicet is cui paretur , in illâ lineâ rectâ non consistit , qua voluntas nostra in Deum tendit : sic latroni in sylvis obedimus ) ne quidem tanquam fini subordinato nostræ obedientia : ut cum facimus in sylvis , quod latrones jubent , sicam nobis intentantes , ut faceremus : hoc enim casu merè obedimus Deo ( ut hic prohi simus ) jubenti ut vitam conserveremus ; latrones autem penitus per obedientiam nostram non attingimus : quæ magis patent paulo infra hic Num. 4.

8 *Et confunduntur cum iis* ] Nimirum Ratio est lex , leges autem humanæ similis tenoris , simileque sunt quoad faciem apparentiæ cum verâ illâ divinâ lege , unde qui non assuevit discrimen inter has observare , facile in posterum decipitur , & quæ similia sunt pro iisdem habet , & confundit : Ex quo errore ( nam error omnis in alios errores præceps est ) facile sequitur ut deinceps nullam putet esse legem nisi humanam , nihil hic attendat præter consuetudinem & hominum mores , in quam sententiam præpenderet Aristoteles . ut ex locis hic citatis & multis aliis patet.

Nebu-



cum iis quæ usu & legibus<sup>d</sup> humanis constituta sunt : Unde popularis ille Philosophus ( Aristoteles *lib. 1. Ethic. cap. 3.* ) conqueritur, *in rebus, quæ honestæ, quæque justæ sunt, quas Ethica considerat, tantam esse dissensionem, ac tantos in iis versari errores, ut lege humanâ tantummodo, non naturâ constare videantur* : Ita homini vano, qui pleraque definivit ad commune iudicium, pleraque<sup>e</sup> ad popularem intelligentiam accommodavit, <sup>f</sup> hîc hæret aqua: & merito laborat in Scientia, quæ maximè sublimis, & earum rerum est, quæ longissimè sunt<sup>g</sup> ab imperitorum intelligentia sensuque disjunctæ. Sed nec demonstrare se res eas velle, nec ad amu-  
sim

Nebulones autem hodie multi ( qui politici vulgo dicuntur, sed injuriâ ) non propendent modo, sed manibus & pedibus in eam sententiam eunt : quod ex ignorantia veræ philosophiæ ( unde nihil non mali ) in illis evenit.

<sup>d</sup> Ac iustis.

<sup>e</sup> In universa philosophia sua.

<sup>f</sup> Et præiudicii vulgi, ejusque moribus ac placitis cuncta ferè determinavit.

<sup>g</sup> *Ab imperitorum intelligentiâ sensuque disjuncta.* ] Hoc potissimum obrinet in humilitate, & illis, qui ad eam spectant : *Nihil quidem magis absorum popularibus auribus* ( Non laborant circa humilitatis materiam, magnopere præiudiciis intellectus sui ) ( nam quid clarius, quam legem non esse in favo-  
rem?



sim exigere, 1<sup>o</sup> sed crasse tantum obiterque tractare confirmat : & quo iterum popularis

rem ? adeoque eum , qui legi pariturus sit sui causa non constituisse agere ) sed magnopere laborant cupiditatibus suis , quibus semper inclinantur , ut omnia propter se faciant : has quamdiu non superarunt , judicant non ut intelligunt sed ( quod dicitur ) ut affecti sunt , seu ut cupiunt ) quid enim magis absonum popularibus auribus accidere potest , quam hoc verum & piæ Ethicæ fundamentum : *Nihil sui causa faciendum esse, suæ felicitatis atque beatitudinis nullam ducendam esse rationem.* Certe populo persuasum est , omnia agenda esse propter se , & propter suam felicitatem , nam & qui minus probi sibi videntur , omnia lucri , commodi & voluptatum suarum causâ faciunt : Et qui probi sibi quam maxime videntur omnia ad æternam beatitudinem , quæ eos post hanc vitam maneat , consequendam faciunt , nemo in officio , nemo in obligatione suâ stat ; nemini satis est ad agendum , præcepisse Deum ut ageret.

1<sup>o</sup> *Sed crasse tantum, obiterque tractare confirmat.]* Nec injuriâ , si verum sit quod statuerat , nempe res Ethicæ non tam à natura & Ratione , quam ab humano arbitrio dependere : nec enim plus merentur , si ita sit ; quamvis & in his rebus , quæ merè arbitrariæ sunt , plus satis operæ ponatur a multis : unde Ciceronis justa illa quærela , aut expositulatio. *Quid? Partus ancille sitne in fructu habendus, disputabitur inter principes civitatis?* Hæc ( quo digitum intendit ad hæc nostræ moralia ) *quæ vitam continent omnem, negligentur?* Lib. 2. de Fin. Bon. & Mal. sub initio.



pularis sit, <sup>11</sup> aliis etiam circa res Ethicas versantibus, idem juris esse contendit: *Satis erit*, inquit ibidem, *cum de rebus*, & *ex rebus ejusmodi verba facimus*, si rudem quandam veri formam adumbremus, & *cum de rebus*, quæ plurimum eveniunt, & atque *ex talibus disputationem instituimus*, *satis erit si talia quoque concludamus*: <sup>12</sup> Eodemque modo quæcunque ab alio dicuntur, accipi probarique debent: est enim hominis probè instituti, <sup>12</sup> tantam in unoquoque genere subtilitatem

II *Aliis etiam circa res Ethicas versantibus.*] Tantum defert vir ille vanus & Popularis rudibus illis in Ethica tractatibus ne quando emergat politior aliquis, qui crassam illam & rudem Ethicam, in qua vitia facile stabiliuntur, & reconduntur refellat, & Augiæ illud stabulum repurget, in quo & ipse Aristoteles cum gentibus suis Philosophis volutatur, & ut hic videmus libenter impune adhuc volutaretur: itaque deterret magna ingenia à studio Ethices, persuadens hoc non esse ad palatum ipsorum, hoc non esse subtiliter exigendum; sed rudi & pingui minerâ, ad hæc sufficere: quemque de circulo posse.

<sup>g</sup> Etiam si non semper eveniant.

<sup>h</sup> Nimirum quæ præter propter sunt (*daer / of daer ontrent*) ut loquuntur geometra sive agri-mensores.

<sup>12</sup> *Tantum subtilitatem desiderare.*] Innuit, ecce res Ethicas non esse capaces magnæ subtilitatis, & per consequens tantum ruditer tractari debere; sed quam falsus sit satis patet ex infinitis erroribus, quibus se & Ethicam suam, dum eam sic ruditer tractat, implicavit: imprimis aberrat cum cæteris Gentilibus à janua; humilitatem ignorat; quam nullo negotio, si



tilitatem desiderare, quantam rei ipsius natura recipit: Atque adeo latam viam munivit popularibus vitiis, <sup>i</sup> quæ passim in sequentibus librorum suorum paginis pro virtutibus, lectoribus suis venditat. Contra verò statuunt omnes pii, res has non levi manu adumbrandas esse, sed penitus in animo exarandas & exaggerandas esse: his dies atque noctes incumbendum: Magnam perspicacitatem, magnam subtilitatem hîc requiri, vel ad hoc solum, ut ea

si non nihil subtilius (ut alias philosophiæ partes sæpe minus quam subtiliter) res Ethicas exegisset: quam enim quoniam facile est videre, eum, qui rationem ut legem (nam Dei illa lex est) amplexurus sit, debere recedere à seipso? Cum lex qua talis, semper omnis & officium injungat, de favore ejus, cui fertur non laboret; esto quod ex officio sæpe favor aliquis in eum, qui officio ritè functus sit, redundet.

<sup>i</sup> In versu belgico ea ab auctore plenissimè appellantur *des volks hoester-zonden* / id genus vitiarum, quod placet, & gratum est, cui indies fomenta subministrant, & per omnem vitam latè serpunt.

<sup>13</sup> *Pro virtutibus lectoribus suis venditat* ] Ut gloriam seu appetitum consequendi sibi honores & dignitates, quem ad virtutem magnificentia refert aut magnanimitatis: item iram, inclinationem ad agendum ex ira, quam in rebus bellicis aliisque arduis & difficilibus negotiis magnopere commendat, & generatim actionem ex passione (quæ ipsissimum peccatum est) nullam enim novit virtutem aliam, quam quæ agit ex passionibus moderatis, seu ad mediocritatem aliquam redactis: ut adhuc videbimus infra

Tract. 4.



ea quæ hominum placitis institutisque, ac ea quæ Ratione constant, discernere valeamus: sine quo delectu nemo umquam bonus fuit.

4. <sup>14</sup> Fructus Obedientiæ est Libertas:  
\* Ne-

14 *Fructus Obedientiæ est libertas.*] Prima radicalis & essentialis libertas est *facere, quod vis*. Hæc libertas reperitur in omni opere morali, seu ad vitium, seu ad virtutem pertineat: quæque hac libertate carent opera, ad naturam non ad mores pertinent. Accidentalibus autem libertas est: *Facere, quod constituisti*, & multa sunt quæ istâ libertate carent opera nostra: ut quæ subinde ex consuetudine aut vehementi aliquâ passione abrepti, antequam satis, quid facturi simus constitutum sit, exequimur. Hæc libertates non ponuntur in fructu seu in præmio virtutis, sed in exercitio: est igitur alia ac tertia quædam libertas, quam omnes ambiunt, & à qua libertas nomen suum habet; nempe *facere quod libet*, aut ut honestius loquimur (*libere enim & lubere* male sonant quandoque libidinem ingerunt audienti, non tantum libertatem) *agere quod ex animi sententia est*: qua libertate V. G. non gaudet mercator, qui obortâ tempestate merces suas abjicit in mare: licet enim ibi quod vult agat, imo quod constituit, agat, (adeoque liber sit juxta duos priores modos libertatis) non tamen agit, quod lubet ei, sed prorsus agit contra animi sui sententiam, minimeque id ageret, si non id agere compelleretur. Hac postremâ libertate semper & ubique liberrimus est vir bonus, isque solus: nihil hic unquam facit contra animi sui sententiam, nihil cujus eum pænitere necessum sit, si modo ad integrum opus suum, omnibusque suis circumstantiis investitum animum attenderit: quod addo, quia cum partem tantum aliquam operis sui attendit, sæpe videbitur contra

tra



\* Nemini enim servit, qui Rationi servit, sed liberrimus est hoc ipso: facit quod vult, quod non vult, non facit, & tantum

tra animi sui sententiam agere. V. G. latroni sui aut tyranno facultates & fortunas suas exigenti concessit eas: aut forte patrem occidit invincibili ignorantia ductus & hostem esse ratus: hisce casibus vir bonus contra animi sui sententiam egisse videbitur (non concessisset enim facultates Tyranno suas, si his non concessis salvus esse potuisset: nec occidisset patrem, si patrem esse scivisset) sed hoc videtur tantum, atque hoc ita etiam est, cum animum ad partem tantum operis sui reflectit; cum vero integrum opus suum considerat (cogitatque se facultates suas Tyranno cessisse, quia obligatione & lege Dei, quæ de tuenda vita est, obligabatur: Et patrem occidisse se, quia hostem Patriæ occidere debebat, putabatque eum esse patrem suum) non potest ei displicere: est enim ex dictamine rationis peractum, ipse vero nihil vult, quod ab isto dictamine dissentit, & omnia illa semper vult, quæ cum isto dictamine consentiunt, itaque nec penitet eum, nec penitere potest unquam istius operis, quo in casu posito, vel necessarias suas facultates cessit, vel patrem invincibili ignorantia circumventus occidit: eatenus hæc non sunt contra rationem, & eatenus tantum ab illo facta sunt.

\* Symbolum & unica libertatis tessera: non Coactus non invitatus: *niet met dwank / niet tegedank*: Concupiscentiam potest id, quod sui studiosus concupiscit, destituere (hoc verò est Coactus & invitatus) amor rationis à ratione nequit separari (est ergò in totum hic gratum & acceptum omne *met dank en sonder dwank / nihil* Coactus invitatus nihil) nam amor rationis est ipsa possessio rationis: siquidem ratio aliter nequit ab anima capi, quam ve-



tum facit ac non facit, quantum ipse constituit, non citra, non ultra, ne latum unguem quidem ( In quo sanè consistit summa libertas ) Cum enim vir bonus ac Rationi obediens, id unum ubique, & faciat, & facere constantissimè velit, quod Ratio præcipit; id verò, nec faciat unquam, nec unquam facere animum suum inducat, quod illa prohibet: liquet eum: & facere semper quod vult, nec unquam facere quod non vult. Etsi fortè vaneat, & calamitosam servitutem servire cogatur; tamen etiam tunc liber est, <sup>15</sup> etiam tunc agit quod vult, & hoc unum agit:

E Herus

ro Amore ( qui enim hic querit, non frustra querit, sed invenit ) id vero est firmo proposito faciendi, quod jubet ratio: Amor rationis multa patitur, multa fert, affigitur? Illa afflictio, in quantum ad se pertinet, rationalis est, cum ratione convenit: est ergo grata & accepta, *al met dank / en sonder dwanck /* quandiu est, quod est, nimirum Amor rationis, studium rationis.

<sup>15</sup> *Etiam tunc agit, quod vult.* ] Id est, quod libet, seu quod ex animi sententia est, alioquin etiam mali agunt, quod volunt; imo & agunt, quod constituerunt agere, seu deliberate agunt: hæc enim in omni fere opere morali, sive bono sive malo interveniunt; temperatur enim tamen hic isti phrasiologiæ *quod libet*, quia ferè male sonat & ex communi usu magis libidinem quam libertatem significat, ut adhuc ante notavimus. Mali itaque etiamsi duplici priorì  
liber-



Hercules cum suis bajulare jubet? bajulabit  
quidem: arare? arabit: pecudes pastum  
exigere? verrere? nere? & quæ id genus  
alia

libertate liberi sint; hac tamen tertiâ nunquam gau-  
dent, nunquam agunt ex animi sententia: nunquam  
agunt quorum eos pœnitere non sit necesse; semper  
ita agunt, sicut mercator, qui merces suas inuitus  
abjicit in mare: Et quamvis populo subinde quædam  
libenter facere videantur, necessum tamen est multa  
passim occurrere iis, quæ illibenter & inuiti faciant:  
frustrari enim possunt eorum studia & labores optato  
successu: *Imo semper & necessario frustrantur.* (Ma-  
li omnia agunt propter se (nec enim aliud est pec-  
catum, quam exlex actio: qui enim ob legem  
agunt, nunquam propter se agunt, ex leges  
autem non habent aliud ob quod agunt  
quam propter se) cum igitur mali omnia agunt  
propter se, omnis tamen eorum actio naturaliter  
& fatali necessitate tendit contra illos, seu tendit  
in eorum gravissimam pœniciem & calamitatem: ut  
sicut coniectio olei in incendium naturaliter ten-  
dit non ad restinctionem, sed ad augmentum in-  
cendii (hoc infra evidentè demonstrabimus, ubi  
de pœna peccati) cum igitur semper ut sibi pro-  
sint, agant; agendo autem nunquam sibi prosint,  
sed semper acerrimè obsint: liquet clarissimum id  
esse, eos semper & ubique optato successu fru-  
strari, semperque inuitissime agere, nunquam ex  
animi sententiâ, nunquam quod libet, semper  
quod displicet: sicut, qui ad restinguendum in-  
cendium, oleum injicit, putans esse aquam, in-  
uitus hic est, nec agit, quod libet, aut quod pla-  
cet, sed quod displicet: eo quod natura actionis  
abludat ab intentione animi, aliud prosequentis: ut  
sic



alia sunt duræ vel abjectæ servitutis? faciet, <sup>16</sup> Non tamen quia jubet herus; <sup>17</sup> sed quia ipse vult, hæc faciet: Nam Ratio rebus ita se dantibus, hæc facienda decernit; ipse autem hoc unum vult, decre-

E 2 to

fic & mali cum propter se agant, & tamen natura actionis eorum sit contra ipsos, semper inviti esse intelligentur, semper contra animi sui sententiam agere.) (Sed hoc dum præcox est, alio loco referabimus) in qua frustratione necessario invitum est; Boni vero nunquam frustrari possunt, ut hic in textu demonstratur.

<sup>16</sup> Non tamen quia jubet herus.] Servire alicui nihil aliud est, quam facere aliquid quia ipse jubet, servire autem alicui non est facere quod ipse jubet: nisi enim simul facias quia jubet, non servis ipsi: ut ex exemplo, quod mox pag. 47. Sequitur, evidentissimum fit: facit itaque vir bonus sæpenumero, quod jubet homo aliquis, nunquam vero facit, quia jubet homo: nunquam ergo homini alicui servit; sed rationi & Deo: facit enim quod hi jubent, & mere ideo facit, quia hi jubent.

<sup>17</sup> Sed quia ipse vult.] Nec hoc in rigore, nam voluntas viri boni ad summum est finis-cui-subordinatus itaque vir bonus non facit quia ipse vult, sed quia Deus vult, seu quia ratio (quæ Dei voluntas quodammodo, certè lex est) præcipit: unde patet virum bonum nunquam sic posse esse liberum, ut non serviat: servit enim Deo & rationi, atque in ea servitute tota ejus consistit libertas; cum absoluta libertas, & ab omni exempti servitute tantum in Deum quadret. Hactenus ergo facit, quod vult vir bonus, quia nihil vult, nisi quod jubet ratio; contra quam nihil agit, nisi velit: est enim impossibile contra rationem agere eum, qui hoc nolet.



to isto stare: Nec ideò servire putandus est, quia & injungit herus, & ipse quod injunctum est exequitur: Si enim vicinus tuus, quoties te domo egredientem videt, egredi mandet: quoties ingredientem, ingredi quoties ad iter accinctum, eo contendere jubeat, quo cogitas: ridebis fortè nugas hominis malè feriat: cæterum te illi, etsi quod ab eo jussus es efficias, obedire non putabis: Nempè non ideò egrederis, ingrederis, proficisceris, quia vicinus tuus hoc jussit, sed quia tu sic constitui: <sup>18</sup> Ita & vir bonus, qui servum agit, quod imperatum est, faciet; non quia sic imperavit herus, sed quia ipse

*I* Auctor addit in belgica versione huic vicino hoc epitheton: *Ben aelmerdigen en ledigen Buurman.*  
<sup>18</sup> *Ita & vir bonus, qui servum agit, quod imperatum est, faciet, non quia sic imperavit Herus, sed quia ipse sic constituit* ] Dices magna differentia est inter istum vicinum tuum & herum hunc boni viri, nam imperium vicini tui nullatenus causam suppeditat actioni suæ, at imperium heri causa est, aut certe conditio aliqua multarum, quas vir bonus, qui mancipium ejus est, exequitur: non enim exequeretur illas actiones nisi herus imperaret eas. R. Verum est, & ideo recte dicitur: *Omnis similitudo claudicat.* Similitudo autem quæ hic adfertur in eo consistit, in eoque est vis & energia ejus, quod nec imperium vicini, nec imperium heri in casu posito sit nullatenus vera causa actionis, seu finis obedientiæ: neutro enim casu hic obtinet illud, quia: nec enim



tute, præsertim <sup>1</sup> ob illam particulam *unicus* repertam in definitione Virtutis: <sup>m</sup> qui enim unice amat Rationem, non plus minusve faciet aut mittet, quam Ratio faciendum vel mittendum esse decreverit. <sup>n</sup> Nascitur Justitia post Obedientiam; nam Justitia actionem aliquam supponit, à qua (nam hoc ejusce munus est) excessum pariter & defectum refecet; actionem autem illam edit Obedientia. Sed & hoc verum est, actionem nullam ab Obedientia manare, quam Justitia jam antè non circumciderit & castigavit: non est enim actio

E 5                      Obe-

<sup>1</sup> Ob illam particulam *unicus*.] Cum particula illa non sit necessariâ in definitione virtutis (ut cap. 2. §. 2. Num. 3. & 4. demonstratum est) satis importatur ratio justitiæ, cum per genus (quod est Amor) tum per differentiam (quod est Rationis) nam nec amari verè nisi unum potest, & licet amari plura possent, certè ratio talis est naturæ, nihil ut sinat secum amari, quæ omnia demonstrata sunt supra in annotatis.

<sup>m</sup> Vero amore fertur in rationem &

<sup>n</sup> Ratio lex est (ut notavimus §. 2. num. 1.) jam lex est norma, mensura, imo numerus: nec minus debet esse, nec plus, verum par, & æquale, quod huic conveniet: minus non accedit, plus accedit; qui ergo normam vult, accommodet oportet & æquet, refecando plus, supplendo minus: & in hoc opere æquandi, accommodandi, addendi, demendi consistit natura justitiæ, quæ icirco ex virtute, ex amore rationis (in quantum ratio est norma & regula) nascitur.



Obedientiæ, in qua plus minusve sit, quam Ratio præscribat: <sup>2</sup> & hac consideratione, Obedientiam Justitia prævertere videtur. <sup>3</sup> Sed hoc est ingenium harum sororum: natalium suorum, quos admodum claros habent, ordinem deditâ operâ celare nos student: & quam, cum primùm aspici-

<sup>2</sup> *Et hac consideratione.* ] Sub diversâ consideratione & justitia obedientiam præcedit & sequitur: præcedit quatenus opus integrum obedientiæ esse non potest, in quo partes suas non habuerit justitia: non est enim opus obedientiæ, in quo plus, minusve sit, quam ratio jubeat, sequitur autem obedientiam, quatenus justitia supponit aliquid, à quo *plus & minus*, à quo *minus & parum* arceat; hoc vero est rude aliquod & inchoatum opus obedientiæ: verbo igitur justitiæ sequitur inchoatam, præcedit completam & perfectam obedientiam.

<sup>3</sup> *Sed hoc est ingenium harum sororum* ] Mythologia hujus fabulæ satis fere patet jam ex iis, quæ proxime notabamus: nempe virtutes Cardinales considerantur hic in fabulâ tanquam sorores: sunt enim conceptæ ex eodem patre, nempe Ratione, partæ ab eâdem matre, nempe virtute, quæ complexu rationis & amore in illam (virtus enim amor rationis est) concipit & in lucem nobis edit generosam illam sobolem, Diligentiam inquam, obedientiam, justitiam & humilitatem: merito igitur ut sorores in fabula perhibentur, & quidem tales sorores, quæ veluti deditâ operâ natiuitatis suæ ordinem nobis occultent, nec sciri permittant, quæ earum major, quæ natu minor sit: eo quod sub diversâ consideratione aliam aliâ priorem, & contra deprehendamus, ut jam proximè de obedientiâ & justitiâ annotatum nobis fuit, & mox in textu sequetur de aliis.



bus, ut majorem natu salutaveras, hanc si denuo aspicias, minorem dicas: Nam & ipsa Diligentia, quæ Obedientiam ætate liquidò præcedere videbatur, si diligenter eam contemplêre, non nisi Obedientia quædam videbitur: cum enim Rationem auscultamus (quod Diligentia est) etiam Rationi auscultamus & paremus (quod Obedientia est) Ratio enim jubet auscultare; igitur si auscultemus, obedi-  
mus, <sup>4</sup> & Diligentia nostra non nisi Obedientia est: Ita nos ludere gaudent <sup>5</sup> dulces istæ Deæ; Sed nos, homines qui sumus, abstinemus curioso nimis & defixo in Divas obtutu: satis fit eo illas ordine salutasse, quem nobis obiter aspicientibus,

E 6 bus,

<sup>4</sup> *Et diligentia nostra, non nisi obedientia est.* Herum diverſa consideratio locum dat huic ambiguitati in fabulâ: si enim consideres rationem seu λόγον ut dictantem tantum (ex quo à virtute concipitur Diligentia) præcedit diligentia obedientiam; si vero consideres λόγον non ut dictantem tantum, sed ut jubentem etiam atque vetantem (ex quo virtus obedientiam concipit) jam diligentia & quicquid virtutis est, non nisi obedientia esse potest.

<sup>5</sup> *Dulces istæ Deæ.* Deæ, quia jungunt nos & copulant cum Deo quam arctissimè: unde omnis nostra beatitudo atque felicitas, unde nos ipsi velut parvi quidam Dii, si earum ministerio cum Deo jungi nos patiamur: dulces ergo verè, quæ id conferunt, unde merito dicatur: *Vire bono secundum Deum nihil pulchrius esse.*



bus, ingenuus pudor & reverentia nostra dictabat: Atque adeò ritè salutavimus: nam si oculis ita remissis fides habenda est (& est, cum aliud hîc non, liceat) judicabimus Diligentiam natu maximam esse, succedere Obedientiam, post has justitiam è Virtute prodiisse.

2. Justitiæ partes duæ sunt: Puritas & Perfectio °: Puritas refecat quod nimis est: estque velut dexterum brachium Justitiæ, quo gladium portat: Perfectio supplet quod minus est: estque velut sinistra manus, quæ staterâ instruitur. Id quod nimis est, vocatur *Vitium per excessum*; id quod minus est, vocatur *Vitium per defectum*. Igitur posito nomine Virtutis alicujus, si ei particulam *nimis* adjunxeris, hoc ipso Vitium in excessu significaveris (ut nimis liberalis, id est prodigus, est vitium in excessu ad liberalitatem) si verò particulam *minus* adjunxeris, hoc

• Ratio mores ad regulam expendit, quidam breviores sunt, quidam longiores: Justitia idem atque pater agit: ille moribus normam admovet, hæc mores normæ: longiores præcidit (ibi puritas elucet) breviores elongat (hic fulget perfectio justitiæ.) Atque his tandem accommodationibus & æquationibus, ex latebris suis educuntur duo morum monstra, scil. peccatum defectus, quando deficit, quod adesse oportebat, & peccatum excessus, cum adest, quod deficere debebat.



sic constituit: Unde si mandet herus <sup>19</sup> ut  
 conservum suum occidat, ut rapiat, ut  
 insidias struat, ut ad vim ac stuprum in-  
 ferendum sibi præsto sit: non faciet: quia  
 non vult; non vult autem, quia Ratio ve-  
 tat: non faciet, inquam, licet ni fecerit,  
 herus ei flagra, lora, furcam & mortem  
 intentet: <sup>20</sup> Ex quo clarè patet, eum a-  
 lias non fecisse quidquam, quia id fieri he-  
 rus

E 3

rus

tu domo egrederis, quia jubet vicinus ( facis tantum  
 quod jubet, non quia jubet ) nec vir ille bonus baju-  
 lat, quia mandat herus, sed quia jubet ratio ( forte  
 illa, quæ jubet nos hic in vivis manere donec Deus,  
 evocet ) facit igitur etiam, quod mandat herus, non  
 quia mandat herus.

<sup>19</sup> *Ut conservum suum occidat* ] Nunquam facien-  
 da sunt illa, quæ intrinsecè mala sunt, seu talia, quæ  
 nunquam fieri recte possunt: nam heri mandatum  
 & periculum vitæ propriæ, non possunt rebus illis in-  
 trinsecam & essentialem malitiam detrahare. Igitur  
 hoc casu vir bonus videbit se solvi ab illâ obligatio-  
 ne, quæ nos hic manere jubet, aliarumque sibi in-  
 jungi, quæ jubet Deo nos hinc evocanti protinus pa-  
 rere: qui non magis angitur aut turbatur animo,  
 quam fidelis hero suo servus, qui inter exequendum  
 pensum, quod herus imposuerat, interpellatur, &  
 aliud aliquid agere jubetur: tota siquidem agendî  
 ratio ei est hæc: *Deus jubet, Ratio postulat*: hoc an  
 illud jufferit, non multum interest ejus, cui tota a-  
 gendi ratio est *justitia*.

<sup>20</sup> *Ex quo clarè patet eum alias non fecisse quic-  
 quam, quia id fieri herus vellet, sed quia ipse.* ] Dices:  
 mali id etiam agunt, quod volunt, & quia volunt.

B. Vc-



rus vellet, sed quia ipse. Itaque libera-  
rimus in illa servitute fuit, ut qui nihil  
unquam fecerit præter propositum suum:

Vir

R. Verum est, si intelligas ut verba jacent, hoc enim  
requiritur ad moralitatem actionis; sed mali non a-  
gunt, quod volunt hoc sensu, quasi nihil unquam  
faciant invito, nihilque contra animi sui sententiam  
si enim vir malus eodem modo veniat, eodemque  
modo servitute servire cogatur, prout hic in textu  
de viro bono dicitur, certum est facturum multa invi-  
rum: nihil enim aliud querit, quam commoda, vo-  
luptates &c. Ipsam etiam vitam propter vivendi  
suavitatem & horrorem mortis continuare desiderat;  
his vero in illa servitute multa contraria & facere &  
pati cogetur; vir bonus vero, qui hæc talia non qua-  
rit, & ne vivere quidem vult aliam ob causam, quam  
quia Deus jussit, & in reliquis omnibus nihil aliud  
quam jussum Dei spectat, nihil hic facit contra animi  
sui sententiam: cum Ratio hic in servitute tam be-  
ne vigeat, quam alibi in libertate: utraque enim  
fortuna (secunda inquam & adversa) à Ratione diri-  
gitur, & perinde in utraque valet: Igitur vir bonus,  
qui tantum rationem querit, eam solam gaudet, tam  
adversis quam secundis gaudet, nihilque in his om-  
nibus esse potest præter animi sui sententiam: Mali  
vero, cum se jugiter querant, jugiter se querendo,  
se perdunt, omnisque eorum actio naturaliter ten-  
dit ad eorum ultimam & deploratam calamitatem:  
ex quo ergo sequitur, quod nunquam agant ex ani-  
mi sententia: is enim maxime contra animi sui  
sententiam agit, qui inter agendum continuo frustra-  
tur optato successu; quod hic adhuc præcox & im-  
maturum, ut ante diximus, magisque detegentur,  
ubi de pena peccati dicemus Tract. 5.



*Vir bonus & sapiens audebit dicere: Pen-*  
*theu*

*Rektor Thebarum, quid me perferre pa-*  
*tique*

*indignum coges? Adimam bona (nempe pe-*  
*cus, rem,*

*lectos, argentum) Capias licet: In mani-*  
*cis &*

*compedibus sævo te sub custode tenebo:*

*Ipse Deus simul atque volam, me solvet:*

*Opinor,*

*hoc sentit: Moriar, mors ultima linea*  
*rerum est.*

## Argumentum hujus.

### §. 2. De Obedientia.

**O**bedientia est executio rationis : na-  
scitur ex virtute seu amore rationis ;  
quatenus ratio lex est ; qui enim virtu-  
tem ut legem amat, debet ei obedire. Hæc  
Num. 1.

Sicut legis duæ sunt partes , *jubere &*  
*prohibere* : Sic & Obedientiæ duæ sunt par-  
tes: *facere & omittere*. Hæc Num. 2.

Admuniculum Obedientiæ est diligen-  
tissimè sibi cavere ab Obedientiâ homi-

E. 4

num:



num: debemus quidem aliquando facere, quod jubent; nunquam, quia jubent homines. Aristoteles hic notatus, qui vacillat, & non satis inter Obedientiam rationis ac hominum, distinguere se posse conquiritur: ideoque res Ethicas tantum obiter tractandas suscipit, ut quæ non plus mereantur: tanquam vagæ & hominum placitis vel similes, vel etiam eadem. Hæc Num. 3.

Fructus Obedientiæ est libertas, seu nihil facere invitum: quam solus, quam semper & ubique is habet, qui soli obedit Rationi: non est enim cogitabilis casus ullus, quo adigatur ad invitum: cum ratio in utrâque fortuna, in omni statu & conditione vitæ perinde & æque suas partes habeat: qui proinde solam illam spectat, eâ solâ stat & cadit, nunquam cogi potest ad invitum, ad id, quod contra animi sui sententiam esset. Hæc Num. 4.

### S. 3. *Justitia.*


**T**ertia filia Virtutis *Justitia*: est præcisio ejus quod nimis & ejus quod minus est ab actionibus illis, quas Obedientia præstat. Oritur etiam proximè ex Virtute,



via autem vice versâ, modestiæ excessus,  
& generositatis defectus est: Et quod in  
hisce

*Religio* & (quia nomen non occurrit aliud) *Mascula Pietas*, id est, virtus illa, quæ à minutiis & quisquiliis scrupulorum & scrupulosarum sibi tempestive cavet. Utrisque in lateribus per modum quadrati ponantur *Impietas* & *Superstitio*: Videbis mox impietatem defectum esse religionis, & excessum masculæ pietatis: contraque superstitionem excessum esse religionis, & defectum masculæ pietatis. Obinebit sæpe hoc schema etiam locum cum nomi-

na





hisce paucis notavimus, locum habet in aliis quamplurimis, si non in omnibus. Quamvis autem hæc ad Logicam aliquam considerationem spectare videantur,

na idonea non suppetunt, quod equidem remorari nos non debet, quia res non pendent à nominibus & inventis, rebus nomina si non sint, fingantur: semper id inter probos licitum fuit.

--- Licuit, semperque licebit

*Signatum presente notà producere nomen.*

Ex his etiam habebis schema, Comitatus & Gravitatis ex adverso ponantur, ad latera etiam ex adverso scurrilitas & rusticitas: Scurrilitas est excessus comitatus & defectus gravitatis: rusticitas est excessus gravitatis, & defectus comitatus.

	Excessus.	
COMITATUS.	SCURRILITAS.	GRAVITAS.
	Defectus.	
	Excessus.	
	RUSTICITAS.	
	Defectus.	



tur, 1<sup>o</sup> est tamen ipsi Prudentiæ insignis quidam eorum usus : ut suo loco videbimus.

3. *f* Adminiculum Justitiæ hoc erit : si ferio

10 *Est tamen ipsi prudentia insignis quidam eorum usus* ] Nimirum circa coërcendum Diabolum ( de quo infra : tractatu quarto , ubi de hostibus virtutis agetur ) cujus hic est stimulus : *Perge quia incepisti* ; contra quem virtus clypeum hunc objicit : *Ne quid nimis* : facile est enim instigante Diabolo à medio virtutis ad excessum ire : Et qui liberalem se præbere constituit , facile in prodigum degenerat : qui frugalem , in avarum : qui generosum , in superbum ; qui modestum , in ignarum : qui religiosum , in superstitiosum : qui masculine pium , in impium : qui comem in leviculum : qui gravem in morosum & rusticum , & sic de cæteris : Periculum semper est ab excessu , nunquam verò tantum periculum est à defectu : nam qui liberalem se præbere constituit , non tam facile in avarum degenerat : nec qui frugalem , in prodigum , nec qui generosum in ignarum , &c. quia ab hac parte Diaboli suggestio non militat.

*f* Atque adeo nihil quicquam novi circa motum corporis mei , & circa modum istius motus ; aut si quid noverim , non à priori ut ajunt , sed à posteriori id novi , & dirigens motum illum scientia posterior est ipso motu , & tantum quod fiat motus conscientia & perceptio : hæc si velim mea cognitione uti velut gubernaculo motus in corpore meo , tantum abest , ut in eo me juvet , ut præter impedimenta nil conferat : nam si me curiositas habet scire , quot in corpore motus fiant , ubi tantum unicam pronuntiare vovulam animus est : atque adeo Anatomes ope mihi represento omnes illos nervos , tendines , musculos , qui



serio apud animum nostrum perpendamus, res non esse, quod esse passim dicuntur, <sup>11</sup> si tantillum desit aut superet. Vulgus jactat & prodigit nomina, extenditque facile ad ea, quibus non quadrant: Quod fere

qui tam in lingua, labiis, genis, quam in abdomine, pectore, faucibus Spiritus animales debent transmittere, & intumescendo atque detumescendo, aerem intra pectus admittere, eumque exinde expellere, aut alio modo moveri: atque cuncta hæc ut unam solummodo voculam lingua balbutiat, annus erit, antequam omnia mea instrumenta, huic exiguo operi necessaria, perspexero: quando igitur demum operi ipsi me accingam, cujus equidem minus me peritum esse scio?

11 *Si tantillum desit aut superet.*] Metaphysici vulgo res assignant proprietates entis, *unum, verum, perfectum*, sed quarta adroganda est, nempe *purum*: quemadmodum enim res quæque unum hoc est quod est (V. G. fluctus unus fluctus est, etiamsi multa gutta) quemadmodum etiam quæque res verum hoc est, quod est (ut fluctus verus fluctus est) item perfectum hoc quod est (nam imperfectus fluctus, & imperfecta mensa & imperfecta domus, non hæc ipsa sunt, sed horum partes) sic etiam quæque res est purum hoc quod est: nam impura res non est res illa, sed res illa & aliquid aliud, quod ei admixtum est: ut aurum impurum non est aurum, sed aurum cum scoriâ: impurum vinum non est vinum, sed vinum & fæces, aut aliquid aliud ei admixtum, & sic de reliquis: Ex quibus clare sequitur Justitiam penes utramque suam partem (Puritatem inquam & perfectionem, de quibus Num. 2.) reperiri in re quaque, & per consequens reperitur necessario in virtutis officio; ita ut si non perfectum, vel non purum virtutis officium fuerit minime, in officii loco reponendum sit.



hoc ipso Vitium in defectu dixeris ( ut minus liberalis, seu avarus est vitium in defectu ad liberalitatem: <sup>6</sup> Unde & libido non opponitur castimoniam per excessum, ut male censet vulgus Ethicorum, sed per defectum: qui enim libidini deditus est, is non nimis, sed minus castus est; <sup>7</sup> contra vero stupor ille, quem castimoniam per defectum opponi putant, is ei in excessu oppo-

<sup>6</sup> Unde & libido non opponitur castimoniam per excessum.] Paret id satis ex nomine, quod libido habet apud Belgas.

<sup>p</sup> Quod vox ipsa belgarum clare indicat: nam syllaba *on* dicentes *on-huy-shapt* / nota est non excessus sed defectus, quemadmodum indoctus (*on-geleert*) non est nimis, sed minus doctus.

<sup>7</sup> Contra vero stupor ille.] Videtur communis Ethicorum schola existimasse, ea vitia ad excessum pertinere; in quibus plus activitatis esse videbatur; ea vero ad defectum, in quibus plus socordiam, ignaviam & velut quietis esse ducebat: sic superbiam, luxuriam, prodigalitatem, temeritatem, quia in his omnibus activitas quaedam sonat, vitia in excessu vocavere; contra vero stuporem, avaritiam, ignaviam, quod nulla in his, vel parva videretur vigere activitas, ad defectum revocarunt, sed imprimis illa ipsa apparentia falsa est: certum enim est avaros saepe plus agere, quam prodigos, meticulosos plus, quam temerarios: hos equidem ut vitam, illos ut fortunas servant. Secundo, in eo etiam errant, quod in quiete minus activitatis esse putent, quam in motu (quod in philosophiam naturali falsum esse demonstratur) quod tamen illi persuasisse sibi videntur, vitia



opponitur : qui enim 9 generationi non vacat , cum Ratio id jufferit , is non minus , sed nimis castus est ; Sed bene notandum 8 particulas illas *Minus* , *Nimis* , alienantes esse , ut Logici loquuntur : nam & qui minus , & qui nimis , quam par est ,  
castus

tia omnia, in quibus plus motus esse putabant, quæque quasi majorem celeritatem sonabant , ad excessum referentes. Non igitur vitium in excessu , itemque vitium in defectu absolutè dicuntur , ut eorum fert sententia , sed relate & cum ordine ac respectu ad certum virtutis officium : unde & idem vitium in excessu pariter atque defectu est , comparatione facta ad diversa virtutis officia : ut Avaritia defectus est , si comparetur ad officium liberalitatis , excessus vero si comparetur ad officium frugalitatis : quæ vide in textu.


9 Isto ut vocant stupore.

8 *Particulas illas alienantes esse.* ] Particula alienans Logicis dicitur , quæ appolita vocabulo , retorquet illud à propria significatione in alienam & veluti contrariam : ut *falsum* alienat *aurum* , nam falsum aurum jam non est aurum , sed aurichalcum , aut quid simile : *Tales* semper sunt illæ particule *plus* & *minus* , & facillime patet , quando nominibus numerorum adjunguntur , ut *plus quam quatuor* , non est jam *quatuor* , sed ad minimum *quinque* : sic etiam *minus quam quatuor* , non est jam *quatuor* , sed ad summum *tria* ; quodque ita in numeris obtinet , etiam in aliis rebus quibuscunque obtinet : essentiæ enim sunt similes numeris , quibus si quid addas vel demas , naturam mutant , nec id manent , quod esse dicebantur , ut philosophi passim inculcant.



castus est, nequaquam castus est. <sup>9</sup> Potest autem idem Vitium diversâ consideratione, & per defectum, & per excessum esse: Sic ubi dandum, & liberalitas exercenda est, prodigalitas ad excessum pertinet (nam prodigus, nimis liberalis est) ubi verò parcendum est sumptui, & frugalitas exercenda, prodigalitas in defectu est (nam prodigus, nimis frugalis, minus quam decet parcus est) contra verò avaritia, quæ liberalitatis defectus est, eadem est frugalitatis & parcimoniae excessus:

<sup>9</sup> Potest autem idem vitium diversa consideratione, & per excessum esse.] Apparet in hoc schemate, quod mul-





cessus: sic etiam superbia, generositatis excessus, ac modestiæ defectus est; ignavia

multiplicari potest in indefinitum, capiendo duas virtutes, aut potius duo virtutis officia inter se quodammodo opposita, & eorum singulis defectum ac excessum suum ( ut in hoc schemate fit ) appingendo: patebit enim semper id vitium, quod unius excessus est, alterius defectum fore, & contra V. G. loco liberalitatis & frugalitatis in uno schemate, itemque loco generositatis & modestiæ in altero, ponatur V. G. Religio

	Excelsus.	
	IGNAVIA.	
	Defectus.	
	Defectus.	
	SUPERBIA.	
	EXCESSUS.	
GENEROSITAS.		MODESTIA.



fere est, esse dicunt: quod vix est, dicunt non esse: Et toleranda forent hæc vitia nominum, si non ea rebus ipsis adspargerent, & <sup>2</sup> ex nominibus æstimare res ipsas assuescerent: Ii verò, qui animum à vulgo ad Philosophiam traduxerunt, facile capiunt, rerum essentias similes esse numeris, qui vel unius unitatis (in numero autem quid unitate minus?) accessione vel detractioe, illicò naturam suam mutant, & in alios numeros degenerant: nam si ternario unitas accedit, non

<sup>12</sup> Ex nominibus æstimare res ipsas assuescerent.] Valde obvium & nimis quam frequens cacoëthes: sceleribus quibusdam per adulationem speciosa induuntur nomina: Cædes & rapinæ bellica virtus vocatur: sordes & avaritia frugalitatis nomine veniunt, & ipsissima impietas mascula ac robusta pietas vocari amat, & ita porro. Vitio, quod ad excessum pertinet, ipsius virtutis, cuius illud excessus est, *ipsius virtutis adulator* affingit nomen, contra vero invidia. (Dux pestes pestilentissimæ in Rep. obrectatio & adulatio, hoc agunt, ut totam Ethicam ab animis hominum expellant: dum virtutis & vitii confusionem inducunt: nam adulator vitii imponit nomina virtutum: obrectator virtutibus imponit nomina vitiorum: hinc fit ut rudiores postea virtutem, quam tam malo nomine inuri audiverunt, velut vitium fugiant, & vitium, quod tam specioso nomine insigniri audiverunt, pro virtute prosequantur: adeoque sublato aut incerto discrimine virtutis ac vitii pessum eat Resp. cuius omnis salus



non ternarius jam, sed quaternarius est; si discedit, non etiam ternarius, sed binarius est. Igitur & ille, qui vel tantillum plus minusve facit, quam Ratio dicit; non facit quod Ratio dicit, sed alias res agit, Deo ac Rationi rebellis est & peccator: Fere obediverat, fateor; sed fere obedire, non est obedire: vix mali aliquid fecerat, fateor; sed tamen mali aliquid fecerat: <sup>13</sup> Quid autem refert, quod non

salus à bonis civibus; qui sine delectu virtutis & vitii boni esse non possunt) & malevolentia optimis virtutibus turpissima vitiorum accommodat nomina. Proborum pietas atque religio superstitio vocatur: mascula eorum pietas impietatis inuitur notâ: frugalitas avaritia vocatur, a quo adeo omnibus virtutibus nomen vitii, quod ad excessum pertinet, malevolus & detrectator impingit (ex quibus equidem incidenter vides majorem virtutis cum excessu, quam cum defectu suo in apparentiâ & populari iudicio affinitatem) nec statur hic: cum tam dissentanea rebus imposita sunt nomina, sive per adulationem, sive per invidiam, facile postea contingit, ut res id esse, quod nominibus inuitur videantur: itaque in posterum & virtutem fugiunt sub larva vitii iniquissime degentem, & vitium sectantur sub virtutis exuviis iniquissime gloriosum.

<sup>13</sup> Quid autem refert, quod non longe sit à Ratione.] Nolim hic ut puer aliquis me omnia peccata æqualia ducere (sicut postea ostendemus virtutes omnes æquales esse Tract. 2.) nam *magis* quidem & *minus* in virtute non obtinet, quæ summum gradum opti-



non longè sit à Ratione? Hoc modò, ab-  
iisse ab illa, scelus est: Stat quis in præ-  
rupto fastigio; vacillat, pedem inde mo-  
vet: quid refert, si pedem non procul  
inde moverit? Hoc solum, pedem inde  
removisse, horribilis ei lapsio & nex est:  
Naufragium in conspectu terrarum, in  
ipso portu, etiam naufragium est, non  
minus sanè, quam in vasto mari, ubi

-- nihil est nisi pontus & æther.

Hæc si maturè & sæpius apud animum no-  
strum revolverimus, studebimus pro vi-  
rili parte parvos etiam defectus ac exces-  
sus ab actionibus nostris remove: & sic,  
quantum mortalibus datum est, justi eri-  
mus.

4. 14 Fru-

obtinet, (sicut in recto non obtinet *magis* & *minus*,  
eo quod rectissimè esse debeat, quicquid simpliciter  
rectum est) sed in peccato, quod à virtutis viâ de-  
flectit, *magis* & *minus* agnoscendum est: nam *bonum*  
*ex integrâ causa*, *malum ex singulis defectibus*: (ut  
scitè philosophi) possunt ergo defectus esse multi, &  
per consequens *magis* *minusque* accumulari: bonum  
verò tantum unum integrumque esse potest. Quid  
interim sibi velint *magis* & *minus* (nam ad operatio-  
nes mentis nostræ, quod vulgus ignorat, spectant hæ  
particulæ) dico in metaphysicâ, præsertim eâ parte,  
quæ est metaphysica Peripateticorum, ad quæ hic lon-  
gum esset abire.



4. <sup>14</sup> Fructus Justitiæ est Satietas : quia enim Justitia pariter & quod redundat & quod deficit ab actionibus refecat, equalas redigit, ut satis sint, seu *satisfactiones* sint : nam *satis* hoc ipso manet, quo *minus* pariter ac *nimis* refecta sunt : Solus ergo Justus satisfacere potest ; reliqui omnes, aut minus faciunt, aut nimis. Et populus quidem facile agnoscit vitium in defectu, & eum qui minus quam satis facit, non bene facere, facile intelligit ; sed <sup>15</sup> non perinde populus vitium videt in excessu. Nam si satisfacere bonum est, plus-

[<sup>14</sup> *Fructus Justitiæ est satiety.*] Satiety, quæ resultat ex puritate & perfectione inter se conjunctis, seu ex refectione ejus quod nimis, & ejus, quod minus est : illa, inquam, satiety est fructus & præmium essentialè justitiæ, quod ab illâ separari nunquam potest : cum enim ablatum est quod nimis erat, & suffectum quod minus erat atque completum, resultat necessario ipsum *satis* : quo nihil sublimius, nihil magis divinum excogitari potest : nunquam enim melius est, quam cum satis est. Præter hanc essentialè justitiæ satietyatem, datur accidentalè quædam, quæ vernaculè *contentement* vocari solet, estque passio pertinens ad amorem affectionis, inter alias longe suavissima.

[<sup>15</sup> *Non perinde populus vitium videt in excessu.*] Diaboli astutiâ seductus : Diabolus enim semper in excessum impellit, cum sub virtutis nomine venditat, ut hic in textu notatur sub nomine majoris virtutis. De quibus infra Tract. 4.



plusquam satisfacere melius videtur : unde cum suos , & quos sibi utiles fore sperant , in convivium adhibent , positâ jam ultimâ mensâ , rogant cœnam frugalem & nimis parcam , æqui bonique consulant hospites : lautius se accepturos , cum forum melius dederit ; hi autem assentantes respondent , <sup>16</sup> satis , imò plusquam satis obsonii fuisse. Et quidem ea parte , qua excessus ( seu id quod plusquam satis est ) continet in se mediocritatem ( seu id quod satis est ) eâ , inquam , parte excessus non est malus ; sed excessus continet aliquid

F ultra

<sup>16</sup> Satis , imò plusquam satis. ] Frequens quidem , sed ridicula populi assensio : re ipsa enim notant eum atque carpunt , cui videntur adblandiri velle : si enim plusquam satis , ergo male , ergo stultè : nam in plusquam satis necessario intricatur frustra : ( ut mox in textu demonstrabitur ) frustra autem facere stultè atque ineptè facere est : itaque cui aut liberali his vocibus adulantur , aut ut modesto ut generoso &c. Eum revera fatuum atque ridiculum dicunt : non sunt tamen graviori censurâ perstringendi , qui forte nobis in communi usu vitæ talem aliquam vocem obijciunt , & laudando , nos vel nimis generosos , vel plus quam satis obsonii apposuisse dixerint : non proveniunt enim hæc semper ex malo animo , & adulationis studio : sæpe hæc non aliud significant , quam nos bene generosos & liberales esse , & plus quam illi , quibus hæc nomina per adulationem tribuuntur , qui aliquando non satis generosi , aut liberales sunt ; summa regula accipiendi voces pendet à mente loquentis , ut in Logica nostrâ dicimus.



ultra mediocritatem seu ultra *satis*; hoc autem non potest esse aliud quam *frustra* nam quod ultra *satis* est, necessario *frustra* est (cum *satis*, *satis* esset) Quod verò *frustra* est, agnoscitur ab omnibus malum esse. Sed Defectus item (seu id quod minus est quam *satis*) qua parte continet in se initium aliquod mediocritatis (seu ejus quod *satis* est) <sup>17</sup> non est malus; sed initium

17 *Non est malus.*] Potest aliquis cogitare defectum excessu pejorem esse, eo quod in excessu aliquid boni contineatur, scil. mediocritas, seu *satis* (excessus enim est *satis* & *adhuc*) in defectu verò nihil appareat boni: sed re bene perpensâ par est excessus atque defectus *ratio*: in utroque boni aliquid, in utroque aliquid mali est: initium in utroque bonum est, finis vero malus: in defectu enim tenditur ad *satis*: (hoc malum est) in excessu pertenditur ad *satis*: (hoc bonum est) non pertenditur ad *satis*: (hoc malum est) in excessu pertenditur ad *satis*: (hoc bonum est) non statim ibi, sed ultra tenditur: (hoc malum est) sed quia defectus videtur posse consistere sine ullâ ad medium seu *satis* tendentiâ, hinc populo magis notatus fuit defectus quam excessus: hinc enim *defectus* & *vitium* illis synonyma sunt; non item *excessus* & *vitium*. Hoc autem non est ita, neque defectus unquam tantus est, ut non sit in eo aliquid boni, seu tendentia ad medium: sicut enim nihil tam falsum est, in quo non necessario sit aliquid veri, nihilque tam curvum, in quo non sit aliquid recti, sic nihil tam malum est, in quo non sit bonum aliquid: quod si omnino boni nihil inesset, nihil esset (nihil inquam in genere naturæ, cum de malo natu-



tium illud non perfici, supplementum abesse, ultimam manum non admoveri operi, hoc malum est.

## Argumentum hujus.

### S. 3. De Justitia.

**J**ustitia est adæquatio rationis: oritur etiam ex virtute seu amore rationis, ut regulæ & mensuræ actionum nostrarum; mensuram enim & regulam amat nemo, nisi ei adæquet, quid mensurandum aut regulandum est. Hæc Num. 1.

Partes istius adæquationis duæ sunt: *Resecare, quod ultra mensuram superest* (& puritas vocari potest) & *supplere, quod ad plenam mensuram deest.* (Quod perfectionis est) Iustitia hisce partibus ceu duabus suis manibus duo reteggit vitia, defectum inquam & excessum: illum puritas seu dextra ejus manus, quæ gladium portat, hunc perfectio ejus seu sinistra manus, quæ staterâ instruitur abarcet & caret. Hæc Num. 2.

F 2

Ad-

naturali sermo, & nihil in genere moris, cum de malo morali sermo est) sed de his infra dabitur forte occasio latius disserendi & elucidandi.



Adminiculum Iustitiæ est serua essentia rerum consideratio, quæ in numero & mensurâ consistit: adeo ut res quæque naturam suam mutet, si vel hilum ei addas aut demas: igitur nec actiones probæ erunt (id est, dictamini rationis consentaneæ) si tantillum in iis plus minusve sit, quam ratio dictet. Hæc Num. 3.

Fructus Iustitiæ essentialis est illa satietas, quæ ex declinatione cum ejus, quod deficit exoritur: accidentalis autem fructus est satietas illa, quæ in passione consistit, quæ contentement vulgo vocatur.

Appendix, quod populus magis agnoscat vitium in defectu, quam in excessu; excessus tamen non minus malum est, ut pote, quod frustra in se habeat, quod ab omnibus malum esse cognoscitur. Hæc Num. 4.

## SECTIO II.

*Quia de Humilitate pluscula dicenda sunt, visum est nobis Caput hoc bifariam dispartire: Hæc est Virtutum Cardinalium summa; & Virtus cum adhuc in Diligentia, Obedientia, Iustitia versatur, rudis est; Humi-*